ALOYSII IVGLARIS NICIENSIS

E Societate IESV

ELOGIORVM

Pars Secunda

Humana continens. Genethliaca, Funebria. | Euchariſtica Panegirica. Dedicationes, Inſcriptiones.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

VENETIIS, M. DC. LVIII.

Apud Nicolaum Pezzanam.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
Beneuolo
AVCTOR.

Miraberis Lector, quod conſecratum Chriſti Ieſu Elogijs calamum, minoribus argumentis potuerim profanare. Suaſores tamen habeo nouæ huius temeritatis fiduciam, primùm tolerantiæ tuæ, mox & æquitatem excuſationis meæ. Miſcellanea hæc diuerſo admodum concepta cœlo Taurinenſi, Mediolanenſi, Genuenſi, ſicuti non vno omnia puerperio enixa mens eſt, ita non vnam omnia fortunam hauſerunt. Impreſſere ſe fœtibus ſuis variæ ſcribentis ætates; acumine alia, placere voluiſſent, alia grauitate prodeſſe. Quia tamen omnia ſuam lucem iam viderant, & quædam multorum terebantur manibus ita mendoſa, vt me identidem puderet erroris plerumque non mei; partes meas duxi, non tam dare, quæ iam negare non poſſem, quàm corrigere quæ

dediſſem. Cæterùm quid hæc ſint, vbi legeris ſcies. Inſcriptiones tamen ſi quæris, quales illæ ſunt Antiquorum, preſſæ, nitidæ, trophæis, templis, & ſepulcris affixæ, Barnabam Briſſonium, & alios conſule. Scripſi ego in eo quoque genere plurimas, quas non exhibeo, contentus eas edere, quæ magis noſtrorum temporum ingenio ſeruiunt, quàm memoriæ poſterorum. Condona igitur certæ neceſſitati, quod inconſultæ temeritati dederas crimen, & qui minus potes benefico plaudere, parce beneuolo.

Proteſtatio Auctoris.

Qvæ narrantur in Elogijs Amedei Ducis Sabaudiæ Primi, P. Rocchi Gonzalez, & Alexandri Bertij miraculoſa, humana duntaxat authoritate nituntur, cum non ſint Romæ diſcuſſa, & à Sede Apoſtolica approbata; atque ita fides ſit penes auctores. Ita iubente Sanctiſsimo Vrbano VIII. in Decreto dato die 5. *Iunij. Anno Domini* 1631.

GENETHLIACA

INSCRIPTIO

AD FORES TEMPLI IANI.

Excitat a Chriſtiana Francica, Duce Sabaudiæ, cùm gratulata Ludouico Fratri Delphinum Filium, Feſtos Taurinenſibus ludos daret.

Patuerint hactenus Iano fores;
Auguſtus alter exoritur,
Qui eas æternum occludat.
Mars extinguendus
Hanc funeri ſuo Pyram accendit.
Ferte, Ciues,
De cordis ardoribus rogo ſuppetias.
Eo ſublato,
Aſtream è cęlo ne poſcite.
Iam habetis.

ALIÆ INSCRIPTIONES

Eadem occaſione.

INSCRIPTIO PRIMA.

Ludouicum ſine Liberis
Hactenus Natura reliquerat,
Quod illos dare degeneres nollet,
Pares, niſi ſerò, non poſſet;
Princeps optimus
Multorum annorum iuſtus eſt labor,
Hinc in omnibus Henrici filijs
Sera fœcunditas.
Qui non pariunt, niſi æternum victuros
Diu coguntur cogitare quos pariant.

INSCRIPTIO II.

Compone tandem fluctus Europa,
Nouo Soli venerationem hanc debeas.
Quieſcite Bombardarum tonitrua,
Quæ Delphinos
Plauſu, & cithara gaudentes fugatis.
Mutare illi ſi Maria ſolent,
In tuto ſunt omnia,
Qui tempeſtatem indicerent in Malacia,
Malaciam in tempeſtate portendunt.

INSCRIPTIO III.

Vulcanus alibi fulminum,
Hic faber gaudiorum eſt.
Otioſum ne puta:
Catenas, quibus iterum

Martem

Martem irretiat, cudit.
Ex quo Delphini vti ope iam poteſt,
Ex Venatore Piſcator,
Martem ipſum ſua ſperat in retia,
A Delphino trahendum.

INSCRIPTIO IV.

Ludouici gaudia
Veſtra facite, Taurinenſes.
Non niſi Sabaudiæ bono
Felix futura Gallia eſt.
Irrigate flammarum pluuia
Tantorum ſemina gaudiorum.
Telluri dies inuideat nouum Solem,
Nox noua ſidera.
Cœlum Cometis obruite.
Prædicabunt Regem Natalia,
Nec prædicent exitia.

INSCRIPTIO V.

In Die Solis, in hora Veneris,
Lucis, & Gratiarum fœtus erupit.
Aſtrologum Coniectorem non terreat,
Quod cum Sagittario natus ſit;
Magiſter Achillis,
Non niſi alterum Achillem reuexit.
Pacis, & iuſtitiæ Regnum
Ominatur Horoſcopus;
In dignitatem enim domo,
Vna cum Sole, & Mercurio,
Aſtræam habet, & Libram.

Digitized by Google

INSCRIPTIO VI.

Finitimus Aquilæ in Cælo Delphinus eſt;
Inter ſe vtinam non opponerentur in terra,
Primę magnitudinis ſidera
Quamdiu non cohærent, diuidunt Mundum.
Accedat igitur Ludouici miraculis;
Vt tam diuerſa conciliet;
Accedat fœcunditati,
Vt dici etiam debeat Pater Pacis.
Meliorem dare Delphino ſuo Sororem
Non poteſt.

INSCRIPTIO VII.

Quicumque pacem nunciet,
Christianam beet.
Odit illa nimium bella,
Quæ ſe Beneficam eſſe non ſinant.
Oleam amat, Minerua enim eſt.
Nouum igitur de cælo Fecialem
DELPHINVM,
Fratris Regno, æque ac ſuo gratulata,
Has de Europæ incendio
Superſtites flammas
In lætitiæ argumentum accendit.

INSCRIPTIO VIII.

Morum ſuorum harmoniæ debeat Ludouicus,
Quod Delphinum, Arion alter, attraxerit.
Mundo naufrago
Idem qui Phalanto vector inuentus,
Cujus ope liber emergat è fluctibus.
Humaniſſimi DELPHINI

Soli

Digitized by Google

Soli hominem in procella non deſerent.
Quos verò alit Gallia,
Ne minus humanos putet,
Homines ſunt.

INSCRIPTIO IX.

September alijs fructuum,
Galliæ, & Sabaudiæ
Florum etiam menſis eſt.
Habuit ab eo illa Lilia.
Iſta HYACINTHOS.
Veris huius fortunam
Par vtinam ſequatur Autumnus.
Diuerſo fato non deſinant,
Qui eodem propè cœperunt.
Diu expectati
Morarum hanc pœnam luant;
Vt non niſi ſerò abeant.
Qui maturius non venerunt.

Digitized by Google

FVNEBRIA.

PRODROMO IOANNI TVMVLVS IDEM

Elogijs XV. illuſtratus.

ELOGIVM PRIMVM.

Joannes Patri inter aras promittitur.

Mirari volueram,
Si concepta ſilentio Vox
In alio, quam in Diuiniſſimo Verbo,
Deſineret,
Pythagoras Deus non eſt,
Voces tamen ſuas
Solis tacentibus fidit.
Atque ita Vox Diuina non incipit,
Niſi cum humana iam ceſſat.
Zachariæ facundiam ligat
Sterilitatis ſolutio;
Punitur ipſamet magnitudine premij ſui.
Felicior, quam aut velit credere:
Aut poſsit dicere.
Ne quid ſiniſtrum metuat.
Angelus dedecet ſtans à dextris.
Adhuc tamen metuenti ſimilis ſtupet,
Qui non tam quid acciperet,
Quàm quid pro eo redderet, cogitaret.
Et tu, Viator, ſi ſapis
De repetundis accuſatus ne pereas.
Dei liberalitatem quandoque plus metues,
Quàm furorem:
Hic paucos facit miſeros
Illa penè omnes ingratos.

ELO-

ELOGIVM II.

A ſterili Matre concipitur.

Diuturnæ probrum ſterilitatis
Abolere fœcunditas quæcunque non poteſt.
A ſenij puerperio
Aut maturos fœtus Mundus expectat,
Aut nullos.
Primicerium Gratiæ,
Ne quis naturæ deberet,
Quo ad vſque dare Natura potuit,
Diſtulit Deus.
Tantam felicitatem decuit
Patientia breuiore non emi.
Proceſſerat planè
Tam in virtutibus,
Quàm in diebus Elizabeth,
Quæ ignominiam vteri ſui
Sine querela toleraret.
Cur tamen illi vellet
Primogeniti laudem perijſſe,
Cui prima omnia debebantur,
Ioanni vniuerſa non dederat,
Si fratrem addere potuiſſet.
Et tu Viator, res tuas
Pondere potius metire, quàm numero.
Negaueris ſingularia, quæ plura iactaueris.

Digitized by Google

ELOGIVM III.

Matris in Vtero exultat.

Mariæ Vocem
Sine viſcerum commotione quis audiat?
Potens in Verbo
Salutem Cognatæ dicit, & facit.
Mirari Elizabeth deſijt
Excuſſiſſe illam Deo
Miſericordiæ Viſcera,
Cum ita concuſiſſe notauit ſua,
Trepidat ad acceſſum Iudicis reus Puer;
Mox abſolutus vinculis Adæ
In libertatis experientiam ſaltat.
Felix cui nec Matris, nec Herodis ergaſtula
Adimere exultationem potuerunt.
Erudiuntur in ſummam Vrbanitatem
Montana;
Perſonato in ſerui forma Domino
Infans vel incluſus, aſſurgit,
Et Matris vterum in theatri vſus conuerſens
Feſtos de ſe ipſo dat ludos.
Qualem eum Gigantem credam
Qui ſaltu vnico Naturæ fines egreſſus
Extremas Gratiæ attigit metas?
Adeſſe ſalutem, cui primum, quam matri
Gratus filius nunciaret?
Otia, Viator, prohibet Deus præſens;
Ioannes excitatus eſt, vt præiret,
Tu excitandus es, vt ſequaris.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM IV.

Ingenti Mundi gaudio naſcitur.

Boni Maioris deſiderium
Impatientiam Minoris inducit
Vbi Mariam
Sperare Obſtetricem potuit,
Tam ſancti deſiderio gremij,
Pene ſe Matris excuſit ex vtero
Prophæta Puer,
Puerum ſi dixi, non dicam Paruulum;
Vel cùm enim eſſe vix cœperat,
Iam coram Domino magnus erat.
Antiqua mulier, & Noua Mater,
Enititur in vno fœtu plura prodigia.
Gaudij magnitudinem
Domus vna non capit;
In vicina non ſolum redundat loca,
Sed & in remotiſsima ſecula,
Soluta ne quidem lingua
Loqueretur Zaccharias.
Cui paria gaudio non ſuppeterent verba,
Nomine ſuo vocari non patitur,
Mendacium exhorreſcens
Si ſe Maiorem diceret parem ſibi.
Agit Dei Amanuenſem,
Qui minus poteſt interpretem,
Et dictata excipiens
Ioannem ideo ſolum
Talem dicendum enunciat,
Quod vel antequàm dicatur, iam talis ſit.
Violenti, Viator, rapere Cælum incipiant,
Quando in Ioanne non vnicus Dei digitus.
Sed tota Dei Manus
In Cæli expugnationem iam pugnat.

ELOGIVM V.

Puer in eremum ſecedit.

Quam Deus erudire voluerit
Sub homine non tolerat præceptore.
Ioannis origo vix quidquam debet Naturæ,
Educatio debet omnia Gratiæ.
Homo miſſus à Deo
Humana vniuerſa dimittens
Vrbium vitia non quia nouerat, fugit,
Sed ne agnoſceret declinauit.
Septeni Athæneum Eremus ſtatuitur,
Ibi omnis illi Encyclopædia
Deum agnoſcere, & ſe ipſum.
Quid audiret ab hominibus
Quod ſuper homines eminens non vidiſſet?
Cælo ipſo celſior animus
Incapax alio tecto, quàm Cælo tegi,
Cogitur in camporum aperta migrare.
Auerſatus Parentum blanditias
Præmiſſus Chriſti Callici Pocillator;
Cameſorum pellem induitur.
Qui ſuam propemodum exuiſſet,
Et ipſomet Cilicio ſuo aſperior ſibi.
Sexcentis vitæ difficultatibus oneratur.
Cultura ſui deſerta nobilitas,
Annorum fugiam ita curſu virtutis præuertit,
Vt ſenium quod adultus non poterit,
Viuat Puer.
Aſſueſce duris qui Cœlum cogitas;
Longum, & arduum iter
Delicatos non tolerat Viatores.
Agni cœna poſita ieiunis eſt,
Felicitatis Patria ſepoſita miſeris,
Æterna requies appoſita fatigatis.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM VI.

Vrbes attrahit in Eremum.

Planè Virtus nunquam minus ſola eſt,
Quàm cùm ſola.
Oderit licet illa frequentiam,
Eam vbi non inuenit facit.
Magnes hæc Populorum
Probos trahit in admirationem,
Improbos in cenſuram.
Pupugit Mundum Cilicium Ioannis;
Eo excitatus itinera ſalutis ingreditur,
Et Præcurſori curſor adhærens,
Etſi non ſperet aſsequi, non ceſſat ſequi.
Paratur Chriſti piſcatoribus in aquis præda;
Lauantium multitudine Iordanis
Prope retrorſum conuertitur,
Et adiutus lugentium lacrymis
Peccatorum naufragio decoratur.
Diſponit homines in Athleticam Deus;
A Ioanne nudari ſuperueniet ipſe cum oleo,
Et totum Cælum in præmium ſtatuens
Totam terram aperiet in Orcheſtram.
Melle paſtus acerbitatem argumenti
Sapore condit Eloquij.
Auditur à reis maiori fame
Qui arguit
Quàm alius quiſpiam qui laudaret.
Veritatem vulgo quid tegitis,
Qui eam plus æquo verbis ornatis;
Peſsimè de illa ſentire vos credite,
Quam diffiditis nudam poſſe placere.

ELOGIVM VII.

Pænitentiæ fructus dum facit, colligit.

Extra frequentiam exeat,
Qui velit Dei vocem audire.
Clamat illa, ſed in deſerto:
Tam audire volentibus vtilis,
Quàm nolentibus non moleſta.
An non in feras plane
Degenerauerint homines,
Qui & à Chriſto in ſtabulo,
Et à Ioanne quæri debuerint in Eremo?
Orpheus Palæſtinus trahit ad ſe omnia,
Dum verbis facta connectens,
In catenam ſe totum torquet
Chriſtum non tam voce,
Quam manu indicans,
Et ſontes increpans etiam cum taceret,
Genimina Viperarum
Magus ſalutaris excantat;
Atque ita ſerpentum oſori Deo
Viam præparat.
Eius plura miracula ne require,
Verus Deucalion
Reparare genus humanum potuerit,
Qui de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitarit.
Diſſuadere qui Phariſæis iactantiam,
Furorem militibus,
Auaritiam Publicanis potuerit,
Is credi debeat cætera omnia potuiſſe.
Reddite ſuperi Vocem ſuam Veritati:
Aut illam vltrà ſi telluri non fiditis,
Eius neceſſitatem mundo minuite.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM VIII.

Phariſæorum Legatos eludit.

Felix Virtus
Si pro admiratorum numero
Amatores haberet.
Verba bona
Omnes videri volunt quærere,
Cum pauciſſimi ſtudeant inuenire.
Phariſæorum improbitas Chriſto ne occurrat,
Quia illum habet in Vrbibus,
In Eremo veſtigat:
Agnoſcit perſonatam officio
Deceptionem Ioannes;
Videt ſe quod eſt negligi,
Quod non eſt fingi.
Ne Ioannes eſſe deſinat.
Dici Chriſtus recuſat.
Negat ſe Eliam,
Qui tot parceret Pſeudoprophætis;
Negat & ſe Prophætam
Qui quæ cæteri implenda prædixerant
Iam impleta narraret.
Negat ſe quidquam aliud
Quàm vocem eſſe,
Qui mutum in ſe nihil agnoſceret,
Cùm & declamaret in delicatos, Cilicio,
In Helluones, ieiunio.
Et ipſomet ſilentio, in loquaces.
Diſce, Viator,
Qualiter adulatores excipias;
Non perſeuera bis eſſe quod es,
Si maior volueris audire
Quam es.

ELOGIVM IX.

Chriſtum abluit in Iordane.

Tam non amicus,
Quam non capax ſordium Deus eſt;
Vbi tamen ſordes abluuntur
Quodam quaſi veneficio illectus accurrit,
Deponant in Iordane peccata homines,
Et ea tollat, eò Illico feſtinat Chriſtus.
Habet ille ardores quos mitiget,
Qui non habet ſordes, quas lauet.
Nouam hanc eruditionem noſtræ Nequitiæ
Horret Ioannes
Quaſi diuinæ iniuriam innocentiæ.
Addictiſſimus veritati,
Ne Deus quidem velit videri,
Quod prorſus eſſe non poteſt.
Cogitur tamen
Eius magis attendere præcepto,
Quam merita.
Aperit Cælum obſequio;
Et eſt planè ſpectaculum Cælo dignum;
Quoties de ſola eſt demiſſione contentio.
Arcano diluuio finis immineat,
Ex quo ex Arcæ ſuæ fæneſtra
Deus Columbam emittit.
In terris non ſiſteret puriſsimum animal,
Niſi extra cadauera figere pedem poſſet.
Quando ad irruptiones iam Cælum patet,
Deſidem, Viator, te nolo.
Scalas tamen qui poſtulas ad aſcenſum
Id velim ſcias,
Cæli viam deſcenſione magis,
Quem aſcenſione conſtare.

ELO.

Digitized by Google

ELOGIVM X.

A Chriſto laudatur.

Facundiſsimus Deus vt ſit,
In ſterili argumento fingit Harpocratem
Auxeſim ignorat tam bonus Rhetor;
Facere res maiores quàm ſint poteſt,
Non poteſt dicere.
In Prodromi ſui laudes excurrens,
Dum maiorem dicit omnibus
Non ideo efficit parem ſibi.
A quo tamen melius vox,
Quàm à Verbo laudetur?
Aut quid iuſtius,
Quàm vt omnia accipiat
A Deo præconia,
Qui omnia ab hominibus recuſaſſet?
Negatur arundo
Qui tuenti regendo mundo par eſſet;
Negatur, & vento agitari,
Cui (Lucerna cum eſſet)
Totum penè erat à vento periculum.
Prophæta deſcribitur
Qui vel ſub Materni cortina vteri,
Quę voce nondum Oracula poterat,
Saltibus edidiſſet;
Immo, & plus quàm Prophæta,
Qui Prophætiam Euangelio copulaſset,
Et illum ipſum quem promitteret
Indigitare populis poſset.
Veras laudes Viator, vt habeas.
Mendicas ne cura,
Harum negligentia
Verum illarum pretium eſt.

ELO-

ELOGIVM XI.

Monitis ſalutaribus Herodem irritat.

Monitorem fidelem
Niſi ſyluæ dent, aulæ non habent.
Herodem Herodi nemo deſcribat;
Niſi qui Cilicio aſper
Palpare quempiam tam non vult,
Quàm non poteſt.
Cui parcat ex populo Princeps;
Qui ita iniurius Fratri eſt?
Sedet in ſolio Magiſter nequitiæ,
Vbi ſtare vindex innocentiæ debuiſſet:
Et Rex non melior, quam Maritus.
Omnia in ſe ipſo coronat ſcelera.
Tacent in aula qui timent,
Tacent qui ſperant,
Si qui loquuntur,
Improbitatem, quam æmulantur,
Honeſtant.
Ingratos ſe rati,
Si regem, à quo excuſantur, accuſent.
Qui caſtitatis cultæ in ſyluas abierat,
Caſtitatis vltor è ſyluis egreſſus,
Vocem illi ſe commodans
Durum regibus verbum occinit, Non licere.
Herodiadi tamen Rex attentior,
Quàm Ioanni,
Innocentiſſimam libertatem
Carcere punit.
Fuge, Viator, ex aula,
In qua veritas in vinculis eſt;
Cæcus ibi mutuſque ni fueris, periiſti.

ELO-

ELOGIVM XII.

In vincula conijcitur.

Voci ſuæ caueat Deus:
Eam illi homines auerent includere,
Hinc arctatur Ioannes in vincula,
Qui alienæ ſeuerus Vltor iniuriæ,
Diſſimulator egregius ſuæ,
In eo poſſit plus quàm Propheta videri,
Quod ſeruum libidinis Regem,
Vel ſi non ſperet corrigere,
Caſtigare non dubitet.
In vias rectas
Omnem dirigens prauitatem
Quidni Genimina Viperarum
Tortuoſos amantia ſemper inceſſus
Offenderet?
Locuſtis, & melle paſtus ſylueſtri
Aulæ palato dulcis eſſe qui poſſet?
In ſpiritu Eliæ non venerat
Si nouæ pacatus eſſe potuerat Iezabeli.
Habet emiſſarius Veritatis
Quas declamet in Herodem Philippicas
Quamdiù non ceſſant crimina
A cenſura non ceſſat,
Cùm pedum libertatem
Illi carcer imminuerit.
Non ſermonum.
Perditorum ingenia Viator, attende,
Quaſi crimen euaderent Iudice trucidato;
Aſſumunt in excuſationem libidinis
Parricidium,
Quod ſi differtur,
Quia timetur populus.
Fiet, quia non timetur & Deus.

ELOGIVM XIII.

Saltatricula ſcelere trucidatur.

Affines ſuis ſemper initijs fines ſunt.
Vitam à choreis auſpicatus
Eandem perdidit in chorea.
Nulla dies magis funeſta virtuti,
Quàm quæ nequitiæ natalis eſt.
Diuina Beneficia
Solemni malefico recordatur Herodes;
Vocat Galileæ Principes,
Non tam conuiuij ſocios,
Quam teſtes flagitijs.
Replicatur in Puella Matris improbitas,
Et malens diuidi Ioannem, quam regnum,
Innocentiſsimum caput
Nocentiſsimas, pedibus exigit in mercedem.
Quid aliud impudicitia poſceret
Quàm interitum Caſtitatis?
Qui ſiceram, merumque non biberet,
A quibus magis, quam ab ebrijs damnaretur?
Circe venefica, menſam vertit in Caueam:
Fit conuiuium belluarum,
Quod erat hominum
Ceſsat vini ſitis, incipit ſanguinis;
Conceptam inter aras victimam
Lictor immolat, non Sacerdos:
Illi vulnus ipſum corona eſt,
Occidi ſe non poſse vox probat;
Sectis amplificata faucibus,
Quem non correxit adulterum.
Inſectatur acerbiùs homicidam.
Ferali è cœna, Viator, te proripe;
Extincta Lucerna eſt;
Iam nihil hic luce dignum expecta.

ELO-

ELOGIVM XIV.

Caput eius Conuiuis in diſco ſiſtitur.

Nunquam benè eligat, qui malè diligit.
Sapere quis dubitaſset Puellam,
Quę Ioannem regni dimidio prætuliſset?
Planè pretioſior, regno quocunque Ioannes,
En tamen illico inconſulta Mercatrix
Muneris ſui pretium deſtruit,
Dum illud non poſcit, vt habeat,
Sed vt perdat.
Ioannem non vult integrum
Quæ regnum diuiſum nouerat;
Cedit buſtum carceri,
Solum caput vendicat ſibi.
Et egebat illa planè capite
Cui omne ingenium fluxiſset in pedes.
Cum hoc mutare ſuum ſi poterat,
Prohibere leuitati ſuæ poterat
Facultatem ſaltandi.
Tua nubat. ò Herodias,
Hac dote Filia;
Atque vt nubat pari, nubat Carnifici,
Pudicus eſto, Viator,
Ne ſis crudelis,
Filias de Matribus æſtima:
Caſtam adultera ſi pariat,
Monſtrum eſto.

ELO-

ELOGIVM XV.

Sanctiſsimis eis Cineribus Genuæ ſepultis Epitaphium.

Tenuem theſaurum ne puta,
Cui cuſtodiendo tam multa lumina vigilant.
Mors, quæ triumphat omnia,
Trophæum nuſquam habet auguſtius eo,
Quod his eminet in columnis,
Superbit illa nuſquam nobiliore,
Quia inter natos mulierum
Maior Ioanne, vt non ſurrexit,
Ita nec cecidit.
Non erat ille quidem Lux, ſed Lucerna,
Hoc ipſum tamen vt credi poſſet
Extingui debuit.
Homo redolens per omnia ſolum Cælum,
Quamdiu ſuam non eſt ſolutus in terram,
Viſus non eſt terra concretus.
Clamat nihilominus
Hac ipſa de terra vox Verbi,
Et quia Vox Domini ſuper aquas,
Vel ipſam maris ſurditatem ſollicitat.
Qui Pœnitentiam olim prædicauit in Cilicio,
Eamdem nunc ſuadet in Cinere,
Quo vel ipſi fluctus conſperſi,
Illico reſsipiſcentium modeſtiam induunt.
Procacibus auris ludibrium,
Vnus hic puluis non eſt,
Ex quo vere dici iam poteſt,
Non Apum ſolum, ſed & ventorum diſsidia
Pulueris exigui iactu compreſsa quieſcere.
Peccatori Pelago Dei metum inſinuat
Solus tam probi Viri conſpectus.

Ac ſi ſuum Chriſtus
Semper ſequi Prodromum debeat,
Ioanne ſpectato,
Quaſi iam Chriſtus adſit,
Perterrita elementa torpeſcunt.
Agnoſce Pacis tuæ Liguria, veram cauſam.
Diuinæ in te charitatis ignem
Fouent hi Cineres;
Excitari non ſinit in tellure veſanos motus,
Qui eoſdem excitatos compeſcit in mari,
Vtere ſorte tua, Viator,
Et à Theſauro,
Qui in ditiſſimo populo habetur maximus
Lucri vacuus ne recede.
Huc ſi procellam attuliſti, refer malaciam,
Ne Ioannis miracula minuas,
Si deprehendatur in vrbe ſua
Poſſe fluctibus quietem præcipere,
Non poſſe Ciuibus.

LVDOVICI IVSTI

Galliæ, & Nauarræ

REGIS INVICTISSIMI

Vita, & Virtutes quadraginta Elogiis explicata, Occaſione Funeris eidem decreti

A Sorore Amantiſſima

CRISTIANA

SABAVDIÆ DVCE, &c.

Anno Domini, M. DC. XLIII.

Digitized by Google

INDICTIO
FVNERIS.

Parent alia Fratri
CRISTIANA perſoluens
Amiſiſſe ſe Patrem profitetur in Fratre.
Henrico debet, quòd viuere cœperit;
Ludouico, quod non deſierit.
Iuſta IVSTO negare
Niſi iniuſta non poteſt.
Adeſte igitur, luctuum ſocij,
Quos illa libentius adſciſceret gaudiorum.
In eius detrimentis
Veſtra cognoſcite,
Niſi ſolutis in pluuiam nubibus
Læſæ Serenitatis fruſtrà imploratis aſpectum.

Digitized by Google

Heu Cæci
Cæcam mortem qui fingimus:
Vidit illa nimium magnificentiam
Funeris,
Quo in luctus ſuos non auara Regina
Victorem coniugem dedicauit.
Accendere tot faces in tam frigido
Monſtro
Pompæ perſimilis deſiderium.
Crebras Chriſtianæ
Funerum occaſiones datura,
Illi poſt Maritum filium abſtulit,
Fratremque poſt Matrem.
Miſereſcite populi, Principem,
Quæ ſi parcè gemat, deſit ſibi,
Si magnificè, ſuis obſit.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM I.

Ludouici Natalia, Cœli, terræque prodigijs illuſtrata.

Galliæ Medicus
E matre Medicea,
Coſmæ, & Damiano Medicis feſto die,
Infecto Regno peperit genitus
Spem ſalutis.
Primus ſæculi naſcentis Autumnus,
Fœcunditatem ſuam commendauit hoc fructu.
Sanctiſſimam animam
Non alius potuit, quàm ſanctior annus
Concipere:
Fuit ille plane Iubilæus mundo,
Cui tantam faceret Indulgentiam Deus.
Gratulata Poëtis
Illuſtriſsimum argumentum Natura
Nouum ſidus accendit in Cycno.
Et terram feſtos agens in motus,
Vaticinata eſt Erebo
Ab Hercule Gallico certas clades.
Iuſto Rege concepto quidni contremiſceret,
Sibi tam malè conſcius Mundus?
Hinc tamen Europæ malim
In Ludouicum reuerentiam diſcas.
Parum fuit ab armato metuere,
Etiam à nondum genito trepidauit.

Digitized by Google

ELOGIVM II.

Naſcens ter oculos, ac manus in cœlum attollit.

Quis eum Adultum in terra detineat,
Quem vel naſcentem attrahere cęlum
Cœpit?
Mundum (quia Dei templum eſt)
Ita Ludouicus ingreditur,
Vt eleuatis manibus
Agat illicò Sacerdotem.
Illi victimam defuiſſe ne puta,
Cui tota vita ſacrificium fuit.
Oculatiſſimus animus
Primo telluris offenſus aſpectu,
Nihil in ea ſe dignum inueniens,
Aliò conatus eſt auolare.
Violenti cœlum ſi rapiunt,
Cedat cœlitum regnum Gallorum Regi,
Cui primus fuerit manuum vſus
Vitam æternam appræhendere.
Feſſo ſufficiendus Atlanti
Explorat illicò oculis pondus ſuum,
Paratiſſimas admouens manus,
Et ruenti regendo mundo
Partes ſuas
Vel cùm nondum poſſet agnoſcere,
Iam implebat.
Miraculum eſto alijs
Præcox hoc deſiderium cœli:
Mihi non quod aliquando cœperit,
Sed quod nunquam deſierit
In cœlum intendere,
Prodigium eſt.

ELO-

ELOGIVM III.

Accepto à Patre gladio puer in Regni & Dei hoſtes armatur.

Iuſtitiæ ſimulacrum
Vt Ludouico mundus adoraret in puero,
Iam habenti Libram ab Horoſcopo
Gladius additur ab Henrico.
Et Henricus ſane rectè docere potuerat
Quo eſſet in Gallia ſceptro regnandum,
Qui non magis virtuti, & generi
Quàm gladio ſuo debuit quod regnauit.
Hebetatum à tot palmarum meſſore
Ferrum ne credas,
Qualem Hydram eo detruncauerit pius Hæres,
Attende,
Suſpicaberis & tu idipſum quod ego,
Henricum Filio
Non dediſſe ſolum gladium,
Sed & brachium ſuum.
Inſultauerit hactenus caſtris Dei viuentis
Non vnus in Gallia Goliath;
Incircumciſis Gigantibus
Exitialis in noui Dauidis manu
Gladius eſt.
Corrierint è Lemana Lerna
Serpentes venefici
In implicationem Gordio nodum;
Quem tot Reges non ſoluerunt ingenio,
Alexander Gallicus ſoluit ferro.

Digitized by Google

ELOGIVM IV.

A prima ætate ſummis virtutibus aſſueſcit.

Integerrima Ludouici vita
Adhuc non ſenio ſolùm
Sed & infantia caruit.
Amica medij virtus.
Eum ab vtroque ſemouit extremo.
Heroem voluit non minus naſci,
Quàm fieri,
Nec vllum in eius annis inuenies,
Quem citra iniuriam
Appellare tenerum poſsis.
Felix ager culturam omnem præueniens,
Cum ne quidem vernant alij, autumnauit:
Agricolam Deum exhilarauit
Miraculi plena maturitas;
Obſtupuit in noui *Solis* aurora meridiem,
Et ſemper pollicitum maiora,
Dum daret maxima,
Ijs fouit ſtudijs,
Ijs ſtimulis incitauit,
Vt ingenitæ probitati acquiſitam adijciens
Ipſiſmet fieret eruditoribus ſuis ſchola,
Vbi ea ipſa diſcerent, quæ docerent.
Rege dignam inſtitutionem
Vix vllus rectè tradiderit,
Qui aut non viderit Ludouicum Nonum
Sub Blanca matre,
Aut Decimumtertium ſub Maria.
Vterque non ideo ad imperata difficilis,
Quod imperare alijs natus erat:
Primam Regni felicitatem

In

In Regis probitate conſtituens,
Ita Dei Proregem Rex agere inſtituit,
Vt in vtroque credi potuerit,
Deus ipſe ſolus
Sine alio Collega regnaſſe.

ELOGIVM V.

Anno ætatis decimo conſecratur in Regem.

Ludouici Regnum diu expectare
Impatiens fortuna non potuit.
Quo foret illud diuturnius;
Ademit patri annos, quos daret filio,
Medicata illicò Gallia eſt,
Accepto è cœlo, oleo vulnus ſuum:
Et cùm ita tota eſſet in Henrico,
Vt tota eſſet etiam in Ludouico,
In eo occiſo perempta,
In hoc ſuperſtite ſeruata eſt.
Tanta iactura
Minori compenſari lucro non poterat,
Conſecratum in noui Regis Chriſmate
Regnum putes.
Adeò eius ne quidem partem auſi ſunt
Attrectare,
Qui antea totum perdere voluiſſent.
Quieuère armorum apparatus in Gallia,
Opiniones è ſtadium in Europa:
In tantæ reuerentiam maieſtatis
Seſe illicò Mundus compoſuit.
Concidit vbique gentium

Digitized by Google

Tremefacta Nequitia,
Quæ, Ludouico in ſolio ſpectato,
Iam crederet,
Aſtræam, ſed iam non fęminam,
Aureum ſæculum reducturam.
Satagite, Superi,
Si diligitis Galliam,
Ne qui tam multos ſceleratis terrores
Attulit veniens,
Omnem ijs ſecuritatem fecerit
Iam recedens.

ELOGIVM VI.

Annam Auſtriacam ducit vxorem.

Pater patriæ
Eam ſine matre non vult.
Hippolyto caſtior Princeps,
Si ſibi vni viuere debuiſſet,
Orbi Maritus, Orbi Rex, Orbi Pater,
Vt ſecuritatem Galliæ pareret,
Duxit Hiſpanam.
Inæquale coniugium
Quia Iuſto non potuiſſet placerę,
Eam ad illum Sponſam
Hymenæus adduxit,
In qua & Genus & Genius,
Et anni etiam pares eſſent.
Nobilium animarum æqualitatem
Cœleſti credas exploratam in Libra:
Vtraque ſiquidem
Eodem Anno, Menſe Hebdomade,
In Libra genita.
Quàm dilexerit coniugem Maritus
Hinc conijce:

Illam

Illam ſequutus eſt vel naſcentem.
Et bene ſanè qui non niſi ſanctiſſimos
Parere cogitaret,
Eam ipſam Ludouico Decimoquarto Filio
Parauit origenem,
Quam Octauus per Blancam
Dederat Nono.
Quæcunque iurgia
Inter Galliam & Hiſpaniam vertant,
Neutra alteri dederit malas Matres.

ELOGIVM VII.

Sibi, Deoque rebelles compeſcere aggreditur.

Inermis Iuſtitia
Ne fieret procaci vulgo ludibrium,
Ætatem omnem armatus tranſigit
Ludouicus:
Execratus eam pacem,
Quæ arcano vbere bella lactaret;
Malens generoſa pericula,
Quàm ſtolidam ſecuritatem.
Armatam Rebellionem
Ne ſemper cogeretur metuere,
Semel exſcindere cogitauit.
Seueritatem remedij qui accuſas
Prius introſpice pertinaciam morbi.
Caluiniana Hydra æquè,
Ac Herculea
Niſi Verbi diuini igne, & gladio excisa,
Repullulat.
Indignatus in Regno Chriſtianiſſimo

Digitized by Google

Tam multa Chriſti hoſtibus licuiſſe ;
Execratus inſuper crudelem clementiam,
Quæ mallet palpare vlcera
Quàm curare:
Furentibus non vtilem ſolum,
Sed & neceſſariam
Emiſsionem ſanguinis ſciens,
Accurrit ad gladios,
Nunquam magis Medicus
Quàm cum hoſtis.
Paratus à Regno potius,
Quàm à tam ſancta expeditione recedere,
Armatas preces contemnens,
Vt veras minas,
Adhuc optimè meritus de ijs eſt,
Quibus dum arces eripuit, Deum dedit.
Vixiſſet æternum is Princeps,
Qui Dei cauſam ita ſuam feciſſet,
Vt nullum ſibi fidelem ſperauerit,
Quem Deo cognoſceret perduellem.

ELOGIVM VIII.

Benearnenſium nouam Rempublicam, quadam quaſi ſpecie venationis euertit.

Caluini poſteros
Vt viuere beſtias ſcires,
Benearnij ſtabulantes in ſyluis
Rex ſagax,
Non quaſi Bellaturus,
Sed quaſi Venaturus aggreditur,
In nuptijs ſuis debuerat Galliæ ludos,

Quos

Digitized by Google

Quos & in cæde
Monſtri omnium truculentiſsimi
Iucundiſsimos dedit.
Quid non metuerent
Ab eo Venatore Vulpeculæ,
Qui in perditione Nebulonum
Suas ſtatuerat voluptates?
Eo ipſo, quo ante annos quinquaginta
Exulare Benearnio cœperat, die,
A milite ſuo victor
Reſtitutus eſt Chriſtus.
Iubilæus impietati annus,
Climatericus impijs factus eſt,
Quibus non indulgentiam,
Sed pœnam attulit.
Placare Deum qui poſset populus,
Qui omne ſibi ſacrificium ſuſtuliſset;
Dei, Regiſque contemptores
Vtrumque vltorem ſenſere,
Dum nec parcit
Ludouici Rebellibus Deus,
Nec Dei hoſtibus Ludouicus.
Victima eſto
Quicunque Sacerdotes non vis,
Et ſordes quas Chriſti non eius ſanguine,
Diluas tuo.
Benearniæ minimum profuit,
Procul à ſceleribus ſuis
Mundi Iudicem amouiſse;
Quem agnoſcere noluerat cælatum in Hoſtia,
Agnouit manifeſtum in pœna.

ELO-

ELOGIVM IX.

Ad Fanum Engeriacum mira Religionis, & fortitudinis experimenta.

Profanatum Engeriacum Fanum
Quia conſecrare non potuit,
Ita execratus eſt Ludouicus,
Vt decreuerit eripere Mundo,
Quod Chriſto reddere non ſperaret.
Eam expeditionem
Vt nemo dubitaret à pietate profectam,
Egit in ea omnia pietas.
Ad ſupplicationem verius,
Quàm ad obſidionem
Duci viſus exercitus:
In ſacello Multiplici,
Ibi & ſtationarius Deus fuit.
Vbique in Euchariſtia Chriſtus expoſitus,
Sibi militantibus:
Suam & ipſe diuiſit annonam.
Suſpicari potueras ad bellum ſacrum
Solos Aſcetas veniſſe,
Adeò Regis, vt in armorum,
Ita in *Sacramentorum* vſu,
Mores induerant.
Nec malè inſuper dubitaſſes:
An eò ſua magis expiaturi,
Quàm aliena punituri piacula, confluxiſſent.
Ita Gallicus Ioſue Hiericuntem hanc ſuam
Sacerdotum magis clangoribus,
Quàm bombardarum ictibus profligauit.
Iratus mœnibus,
Quò pacatior eſſe ciuibus poſſet;
Vt hos ſeruaret, illa deſtruxit.

Im-

Impiiſſima compita
Chriſto ante ſe circumlato luſtrauit ;
Mox, ne nomen quidem tolerans
Antiquæ perfidiæ,
Vbi Engeriacum fuerat,
Pagum ſtatuit Ludouici.
Felix excidio tuo Ciuitas,
Si erubueris ſub tam bono nomine
Malos mores
Et idipſum volueris eſſe,
Quod diceris.

ELOGIVM X.

Ræam Inſulam Rebellibus eripit, mox & ab Anglis defendit.

Aſſuetus ſub ſeipſo Imperatore
Omnia merere ſtipendia,
E Ræa Inſula
Reum deturbaturus exercitum ;
Viam illuc ſuis,
Non tamen voluit imperare,
Quàm facere.
Primus obſtantes aquas ingreſſus,
Periculo ſuo intulit omnibus
Neceſſitatem ſequendi.
Fruſtrà detonarunt ex aduerſo Bombardæ;
Nemo quid audiret aduertit;
Dum ſolum attenderet quid videret.
Refluas vndas ſtupor ſubitus alligauit.
Credas ardore illo tanto ſiccatum Mare,
Adeò nouam illam Belli rationem

Calca-

Calcatum verius,
Quàm nauigatum adiuuit.
Rex eo die iam non ex fronte cognitus,
Sed ex manu:
Adhuc tamen pugnauit ille validius
Exemplo, quàm ferro.
Tantam hanc Galliæ laudem
Vt aſportaret in Angliam,
Centum Buchinchamius naues
Ræam deduxit;
Exonerarunt octona funerum millia,
Et quò venerant expeditiores ad pugnam,
Eò rediere leuiores ad fugam.
Ludouici memoria
Excitauit Toëraſio ſemimortuum Militem
Nemo potuit eripere ſe periculis
Quæ Rex tantus ſubijſset.
Ita Inſula, quæ vberrimam gloriæ ſegetem
Dederat acquiſita,
Dedit etiam maiorem ſeruata.

ELOGIVM XI.

Rupellam ab alijs Regibus ſæpè fruſtrà tentatam aggreditur.

Secundiſsimis auris
Prouectæ Ludouici Fortunæ
Parare ſe poſse credidit
Oppoſita Rupella naufragium.
At non habebat Gallia vitreum caput,
Quod vnius illiſu Repeculæ
Frangi poſset.

Ve-

Digitized by Google

Veſana Ciuitas,
Quæ maiorem pelago daret
Quàm Deo fidem;
Fame peritura,
Ferrum omni ex parte collegerat;
Et ne vllam iam capere veniam poſset,
Tota conſtipata ſceleribus,
Tam multis à ſe victis Regibus
Ludouicum addere cogitarat.
Gauiſus pius Medicus eſt,
Omne laborantis Galliæ virus
In membrorum nequiſſimum coiuiſſe.
Hoc vt qua poſſet arte præcideret.
Trium leucarum aggere
Rupellam à reliqua Gallia ſeparauit.
Commiſit ſe pelago
A terris iam abſciſſa Rebellio;
Dedit illa ſe quaſi Gemonia de Rupe
Præcipitem;
Et vt alienis ſolari cladibus ſuas poſſet,
Angliam traxit in ſocietatem infamiæ,
Non infamis ſolatium.
Terræ filios, vt Terra non defendit
Ab Hercule:
Ita nec Mare Neptuni filios ab Achylle.
Attulit obſeſsoribus palmas Claſsis
Quæ obſeſsis venerat allatura ſuppetias:
Et à Iuſti partibus
Stare vbique Deum experta,
Quem deſperauit vincere,
Nec videre ſuſtinuit.

ELOGIVM XII.

Rupellam, poſt XV. menſium obſidionem, expugnat.

Rupellam vincere
Poſt Ludouicum liceat omnibus,
Quod ante illum licuit nulli.
In alijs expeditionibus
Ducem, & militem egit,
In hac Diuinum aliquid
Planè molitus eſt.
Vbique conſilio & manu præſens:
Quæ ſtabant pro Rebellibus elementa
Compeſcuit.
Nouum littus impoſuit Mari,
Quod vel non poſſet,
Vel non auderet excutere,
Et coactos in obſequium fluctus
Inculcare peruicacibus
Neceſſitatem obedientiæ iuſſit.
Illuſtrata Moles eſt Angelorum ignibus,
Non accenſa.
Ad eam lucem per mille illius operis enituere
Miracula,
Quod vtique Ars fruſtra conceperat,
Niſi illud Ludouici fortuna firmaſſet.
Clauſum ratibus Mare,
Apertum Militibus,
Tantali ſupplicijs
Ita vexare perfidos cœpit,
Vt ijs ſemper panem oſtenderet,
Nunquam daret.
Curauit ebriorum veſaniam fames,
Viginti Ciuium millibus ſaginata;

Ea

Ea docuit
Salutem à Ludouici pedibus quærere,
Quam ſuis iam à manibus non ſperarent.
Ita Vrbs eadem Expugnatori ſuo
Et ſtetit Trophæum
Fortitudinis domitæ,
Et Monumentum
Clementiæ conſeruatæ.

ELOGIVM XIII.

Rupellæ Victor, Chriſto & Sanctis omnibus triumphum cedit.

Quicunque dies Rupellam euerteret,
Non potuit vniuerſo Cælitum Orbi
Non eſſe feſtiſſimus.
Oculatiſsimus oppugnator,
Cælitum in Rupellam inimicitijs
Bene vſus.
Quia iam omni clauſam ex parte
Vni patere ad iniuriam viderat cœlo,
Eas auxiliares exinde copias traxit,
Vt poſt dilatum
In Menſem Decimum quintum excidium,
Sanctorum in eam omnium
Irruptionem dirigens,
Calendis Nouembribus
Eam ſibi,
Superiſque omnibus aperiret.
Gauiſus talia bella gerere,
Quæ Commilitones habere Cælites
Meruiſſent:

Quos

Quos omnes in pugnam ſæpe vocauerant,
Omnes voluit intereſse triumpho.
Præiuiſse ſibi in omnibus Chriſtum
Ipſo incedendi ordine
Perduelli populo teſtaturus,
Captiui modeſtia ſequutus eum eſt,
Dum quaſi ouans
In Euchariſtiæ veſte candida
Deduceretur,
Et quo foret in poſterum tàm ſuæ,
Quàm Dei cauſæ conſultum,
Præſidiarijs ſuis adiecit
E IESV Societatem lectiſsimos;
Infideles eos neſciens ſuſpicari,
Qui pari obſeruantia,
Et Henrici Cor mortui,
Et Ludouici viuentis animam cuſtodirent.
In triumpho Herculi Gallico,
Qui hoc Augiæ ſtabulum perpurgauit,
Et fœdantes Dei menſam
Ita deplumauit Harpyas,
Et dum nulla iam in Rupe nidificant,
Vbique pateant Venatori.

ELOGIVM XIV.

Domita Hæreſeos inanes conatus irridet.

Arces Ludouicus Hæreſi eripuit,
At non dentes.
Quidni mordeat igitur veſana Beſtia
Frenum ſuum?
Iraſcitur bellis,

Quæ

Digitized by Google

Quæ quietis inimicos
In pacem compulerint;
Accuſat Medicum,
Quæ magis ægritudinem debuiſset.
Iuſtum eum nolit agnoſci,
Qui quæ Dei erant Deo reddiderit,
Quæ ſua, ſibi.
Velit illa tamen, aut nolit;
Ludouicus is eſt,
Qui Rex à Pharamundo
Sexageſimus quartus,
Credi poſsit in Gallijs regnaſse primus.
Ita dederunt alij leges,
Vt & acciperent:
Cùm haberent penes ſe Regni inſignia,
Penes alios Regni iura.
Is vnus Gallico planè libe in Regno,
Qui ne tempori quidem
Voluit ſeruiendo regnare,
Hac tanta libertate digniſsimus,
Qui cupiditatibus obſequi
Nec coactus eſt alienis,
Nec voluit ſuis.
Aſsueſcite Ludouici artibus Principes,
Et ad eaſdem laudes ijſdem itineribus
Properate,
Suberegit ille perduelles
Armorum violentia,
Accepere armam vim omnem
Ab innocentia morum.
Ornamenta pię mentis
Facta impio dogmati tormenta ſunt.
Ideo Caluiniſmus è Regibus nullum habuit
Hactenus magis hoſtem,
Quia nullum magis diſsimilem.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM XV.

Pacata Gallia, Europam vniuerſam ſuis implet victorijs.

Mitiſsimum Principem
Proh in quot bella impulit amor pacis!
Diſsidiorum occaſiones,
Vt nullas attuliſſet,
Adeò multas inuenit,
Vt dum vnam ſopit,
Alteram excitans,
Pacando Galliam turbarit Europam,
Sint hæc Crimina temporum,
Non Gallorum,
Qui vt pacis & ipſi otia diligant,
Ea libertatis detrimento non emunt.
Mutaturus Rex bella,
Quæ aboleri non poterant,
Ad domeſticorum remedium
In externa conſenſit.
Patefecit hanc ad exteros viam
Exciſa Rupecula:
Tunc primum incuſsit Gallia
Terrorem hoſtibus,
Cùm ipſa iam incuteret nullum ſibi,
Vocatus ſuorum Iura ſeruare,
Qui tam feliciter recuperauerat ſua:
Superatis, quas fruſtra hyems defenderat
Alpibus,
Victorjs ſui ingentem in Italiam
Aditum relaxauit.
Pugnarunt vbique gentium pro tanta virtute,
Fortuna temporum; Inſortunia Nationum,
Adeo vt Arces Europæ munitiſsimas

Tam

Tam multis inuictas ſæculis
Primus propè vinci poſſe docuerit.
Superbiat exciſo Sagunto Pompeius
Cartagine Scipio,
Syracuſis Marcellus,
Nemo cum eo Poliorcete ſe conferat,
Qui vel in primo
Bellorum ſuorum impetu
Intra nonaginta dies,
Vrbes minimùm quinquaginta
Deditione, vi, terrore Nominis ſuas fecit.
Opponat inuidia ſemper inſenſa felicibus
Quidquid volet,
Bellatori tanto idipſum fuit viuere,
Quod vincere:
Niſi quod cùm iam deſierit viuere,
Adhuc vincere non ceſſauit.

ELOGIVM XVI.

Litterarum ſtudia magnis honoribus, & largitionibus promouet.

Qui potuit inter bella Mars credi,
Inter Muſas adhuc viſus Apollo,
Aſſuetus Regnum ſuum
Ipſiſmet ornamentis armare
Sciens non minùs neceſſarios
Contra ignorantiam eruditos,
Quam aduersùs ignauiam ſtrenuos,
Vtriſque obtulit
Diſparis exercendæ virtutis
Pares occaſiones.

Ere-

Erexit ſæpè Academias,
Vbi Arces deſtruxerat;
Nec tamen interim
Minuiſſe ſe credidit munitiones,
Cùm Magiſtro potuiſſet Patre
Sat diſcere,
Palladi, nec clypeum deeſſe, nec telum;
Et hominum capita
Ineluctabiliùs dimicare,
Quàm manus.
Sub vno olim reſtituta Ludouico,
Refloruit ſub altero,
Penè noua Sorbona!
Academiarum omnium Matri
Accreuit ex ædificijs dignitas;
Adeo vt iam non minus oculos
Quàm aures erudiat.
Excitata in tanti admirationem argumenti
Omnia genera litterarum.
Suſpexit in eo Theologus gratiam,
Naturam Philoſophus,
Mores Ethicus,Muſicus modos;
Solam Poeſim Achyllis, & Æneæ puduit;
Cùm eum in hiſtorijs inuenit heroem,
Cui parem fingere neſciſſet in fabulis.
Audiat igitur Hæreſum Profligator,
Qui eas magis, erudiendo ignorantiam,
Domuit,
Quàm euertendo Rupellam.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM XVII.

Ingentem ſtrumis laborantium multitudinem ſolo ſana contactu.

Quidni adoret Reges ſuos Gallia,
Quorum humanitati
Ita manifeſta eſt inſerta Diuinitas
Vt ipſis etiam morbis ingeneret reuerentiam ſui?
Stare coram tanta maieſtate
Pertinax alioqui tabes, ſtruma non ſuſtinet.
In manu Regia diuinam agnoſcens
Imperatam illico fugam exequitur;
Felices eos populos probans
Quibus tam ſalutaris ſit res
Multis pernicioſiſſima
Ad Reges acceſſus.
Accepit Ludouicus vnà cum Regno virtute;
Quam vel priuatus mereri potuerat.
Tegere illam neſciens
Cum ægrorum iniuria;
Ita reuocauit ad vſum,
Ac ſi miraculi huius auctoritas
Non induiſſet in Galliæ Regibus
Vim naturæ,
Sed vt haberetur,
Nouis egeret quotidie meritis impetrari;
Vix vnquam fauces
Contactu ſoluit alienas,
Quin præmiſſo ieiunio cruciaret ſuas.
Pacata Gallia
Ad Italiæ fores delatus Seguſium
Tantos non attulit felicibus metus,
Quantas Miſeris ſanitates.
In Diui Iuſti templo,

Credas Regis, & Martyris
In vnum coaluiſſe Iuſtitiam,
Cùm ibi viſus ſit Ludouicus
Non illà ſolùm feciſſe, quæ Reges,
Sed ea etiam potuiſſe,
Quæ Martyres.

ELOGIVM XVIII.

Excitata ſæpè in Regno diſſidia tàm feliciter, quam prudenter componit.

Solam Dei domum nulla diuidunt iurgia,
Cæterum vbicunque homines,
Ibi Lites.
Quacunque maior inuidia
Ludouici Fortuna
Eius penitus prudentiam texerat,
Niſi magnis & ipſa obiecta periculis,
Iis par erupiſſet.
Coactus in bella
Quorum odiſſe non liceret authores,
Studuit illa magis prohibere,
Quàm vincere:
Nec vnquam magis notauit
Humanæ fælicitatis lubricam fidem,
Quàm cùm non potuit pacare Palatium,
Qui pacauerat Regnum.
Suorum non placens moribus,
Qui ſuis tantoperè probaretur,
Eò ſe deductum ingemuit,
Vbi videri cogeretur,
Aut Rex parum prouidus,

Digitized by Google

Aut conſanguineus parum pius.
Neutro tamen fractus in ſcopulo,
Iniurius nulli, pluribus vtilis,
Cariſſimorum tolerauit abſentiam,
Non imperauit.
Quis hanc Ludouico calamitatem
Obijciat?
A qua ſi factus ideo minus pius,
Et tu Lector,
Multa velis in tua fortuna
Corrigere,
Quæ corrigere ob hac vnum non debes,
Quia non potes,

ELOGIVM XIX.

Singularia Certamina ſeueriſsimis Legibus interdicit.

Bellorum Auctorem
Ludouicum qui facis,
Cauene dicere magis debuerit
Abactorem
Prælijs prælia perſequutus,
Extra Regnum ſuum
Poſtquam ejecit publica,
Studuit etiam abolere priuata.
Pacem igitur mundo,
Ob hoc vnum ille non dederit,
Quod imperare eam ipſam
Non potuit exteris,
Quam potuit ſuis.
Execratus probroſam

In honoris defenſione veſaniam,
Quæ ſingularibus diſsidijs
Singularis ſenſim Prouincias exhauſiſſet;
Vltionem non ferens
A Chriſtianis credi magni indicium animi,
Quæ vel Ethnicis fuerat
Certiſſimum argumentum puſilli,
Infami illam nomine puniens,
Luendum capite crimen fecit.
Diſsimulare neſciens
Eius inobedientiam legis,
Quæ deberet omnibus
Et æquitate placere,
Et vtilitate prodeſſe.
Princeps ipſos indignos
Veniâ cenſuit,
Qui, quod ita diſplicuiſſet
Honoris Arbitro,
Adhuc honorem putaſſent,
Et nobiles iras in alios
Quàm in Regni & Dei hoſtes
Abſumere auſi eſſent.
Collige, Gallia, quotquot potes Coronas,
Regi tuo nunquam tot Ciuicas dederis,
Quot ille Ciues hac vna Lege ſeruauit.
Et miremur in Ludouici Caſtris
Tantam ingentium animarum
Frequentiam?
Strenuos qui perire
In priuatis diſſidijs vetuit.
Eos habere mox potuit
Periculorum Abactores in publicis.

ELOGIVM XX.

Hæredem filium à Deo impetrat.

Dignum Rege optimo hæredem
Quia non facilè poterat Natura concipere;
Hoc Galliæ beneficium diſtulit annos plures.
Tantum tamen opus moliri
Quia Natura ſola non poterat,
Fuit in ſubſidium aduocata
MARIA,
Quæ felicibus ſemper obſtetricata
Puerperijs,
Vera Mundi Lucina eſt.
Europæ procellis ſinem ſpopondit
E Gratiarum pelago Delphinus emergens;
Tam boni Muſici precibus
Excitatus exilijt,
Et mundi calamitatibus
Territas ſpes fugaces,
Piſcatoris Petri
Secum reduxit in retia.
Dedit Ludouico filium
Ea ipſa, quæ dedit Deo;
Si muneris igitur pretium
Liceat ex authore cognoſcere,
Quando etiam fuiſſet
In tam bono Principe,
Vnde formari peſsimus poſſet,
Talem dare nollet MARIA
ANNÆ præſertim,
In qua & Matris ſuæ nomen reueretur,
Et mores.
Inter Miracula viuat
Qui non creditur ſine miraculò genitus;

Ludouici abſentiam
Aduerti prohibeat Ludouicus;
Et ne ſit infra Decimumtertium
Decimus quartus.
Qui Laureti
In imagine viuit Argenteus,
Totus in ſeipſo Aureus,
Sæculo ſuo pretium faciat.

ELOGIVM XXI.

Ludouici ſingularis in Deum pietas.

Deo deuinctiſſimus Princeps
Ita illi ſuos omnes,
Agglutinauit affectus,
Vt nullis niſi in Deum illatis læſus iniurijs,
Vix alijs, quàm Deo collatis honoribus
Potuerit hilarari.
Eum reueritus vbique præſentem,
Vbique vixit
Tanquam ad Aras Sacerdos;
Nihil inter homines magis cauens,
Quàm ne quid ageret
Deo teſte non dignum.
Vſque ad naturæ negligentiam;
Et obliuione fortunæ
Memor virtutum,
Diuinitati propiores, ita dilexit,
Vt eas non tam induiſſe.
Quàm in ijs totum deſijſſe
Videri potuerit.
Religioni ſanè

Quam-

Quamdiu fuit bellum in Gallia,
Nullam ſibi paſſus eſt pacem eſſe:
Suas illi iras æquè ac mores
Vtiles fecit,
Sibimetipſi eripiens,
Quam daret illi,
Securitatem regnandi.
Chriſti iura roborans ſuis,
Qui commune alijs Chriſtianiſſimi nomen
Feciſſet proprijſsimum ſibi:
Ne hanc quidem laudem
Volens gratuitam,
Sed & hanc debitam,
Æternum illi Epinicion
Victorijs ſuis cecinit,
Æternum Eucharisticon moribus:
Illius gloriam crebris alens ieiunijs,
Illius ignominias
Magnis recolens lacrymis,
Adhuc illum magis imitatione,
Quàm magnifica templorum Erectione,
Laudauit.

ELOGIVM XXII.

Ardentiſsimus Ludouici in ſuos amor.

Herculis huius Euryſtheus
Amor eximius,
Quo vniuerſos æquè eſt complexus:
Ac ſingulos.
Labores illi omnes
Hic Tyrannus indixit,

Hic illum, dum quieſcere non ſinit,
Occidit.
Præſtantiſſimum Principem
Cum ita bene Ludouicus expreſſerit,
Expreſsit fortaſſe melius
Amantiſſimum Patrem.
Hoc illi nomen ne crederes
Primum detuliſſe Delphinum,
Puer adhuc filijs viſus eſt abundare:
Vtpote qui quà die viderat
Se vnctum in Regem,
Eadem ſe crediderat
Omnibus aſsignatum in Patrem.
Nemo maturiùs nominis huius
Affectus.
Egebat adhuc ipſe tutoribus,
Et iam omnium Tutorem agebat;
Sollicitè vigilans
Ne cuiuſquam læderet auarus inopiam,
Periurus famam, proditor vitam:
Iam tàm intelligens
Principium ſemper probra eſſe
Non temporum,
Quæcunque prohiberi potuerant
Diſpendia populorum.
Audire paratiſsimus
Quidquid auderent ſupplices dicere:
Alieno felix ſolatio
Viſus accipere beneficium,
Cum rogaretur conferre;
Nullius Theſauris inhians
Qui eos ſolùm ſe crederet habere,
Quos daret,
Certus in diuite regno
Nunquam inopem Regem eſſe,
Suo-
Digitized by Google

Suorum diuitias ſtuduit augere,
Non ſuas:
Omnium amore dignisſimus,
Qui ſola populorum vtilitate
Gloriam Principis metiretur.

ELOGIVM XXIII.

Ludouici in ſumma felicitate,
ſumma Modeſtia.

Tolerate querimonias
Cuicumque irati præconio, Manes pijſsimi;
Veſtrarum admiratores virtutum
Vni Modeſtiæ placari eſſe non poſſumus;
Quæ in hac tanta opportunitate loquendi
Silentium imperarit.
En vt ne Iuſtus quidem in ſua Cauſa
Incorruptus eſt Iudex?
Solum indutus adhuc latere ſperauit;
Imminuit populis libertatem,
Quibus noluit tantam hanc honeſtatem licere
Facundiam, Tantali pœnà, mulctauit,
Quam tot lectiſsimis ferculis irritatam
Ieiunam adhuc viuere voluit.
Huic voluntati,
Licet & tanti Regis vltima fuerit,
Poetica audemus licentià reluctari:
Congerimus in mortuum decora,
Quæ viuus mereri maluit, quàm habere:
Teſtatum volumus mundo,
Ludouici merita
Pluris non æſtimare quàm iuſſa.

Digitized by Google

Chriſtus ipſe tot ab eo donatus triumphis,
Depoſiti eos, non doni nomine retinens,
Omnes in vno reddidit morienti.
Dei igitur exempla, ſi ſequimur homines,
Regi noſtro modeſtia
Multos honores diſtulerit,
Nullum abſtulerit,
Cùm plures ſit habiturus in tumulo,
Quàm aucupari tumidus potuiſſet in regno.

ELOGIVM XXIV.

Ludouici in Calamitoſos beneficentia.

Arceamus conductas ab hoc funere Preficas,
Pauperum pater
In quocunque pereat populo,
Nec illaudatus poſſit,
Nec illachrymatus efferri.
Qui miſerorum oculos ſiccauit viuus,
Etiam felicium genas humectat mortuus.
Hoc vnum de illo conqueri mundus poſsit,
Solatia non dedit diuturna,
Qui dedit maxima.
Conſtitutus à Prouidentia
Nequiſsimi remedium ſæculi,
Qui cuiuſcumque peccata fortunæ
Sua poterat charitate corrigere,
Omnem felicitatis ſuæ fructum
Alienis calamitatibus debere ſe credidit.
Eius liberalitatem qui præſcijt Deus
Ne ita pronum in beneficentiam Genitum
Argueretur fruſtrà feciſſe,

Par.

Partes ſuas duxit
Non minori cum patrimonio munire,
Quàm Regio.
Et hoc ipſum tamen exhauſerat,
Niſi eum dandi occaſio,
Non animus defeciſſet.
Adoleſcens ab Aulico monitus,
Quod perrigenti manum ad ſtipem
Plus æquo munificus extitiſſet,
Mendicum reuocans
Auaritiæ remedio
Prodigaſitatem hanc emendauit:
Illi non aurum ſolum
Quodcumque ſuperfuerat,
Sed & crumenam ipſam adijciens,
In quaſi ſe non dignæ
Expiationem tenacitatis.
Et miremur felicem in bellis manum
Quam Dei æmulam veneramur in donis?
Nemo terrarum omnium Imperio dignior,
Quàm qui eas purgatas ærumnis,
Seminat beneficijs.

ELOGIVM XXV.

Ludouici in deligendis idoneis magnarum rerum Adminiſtris Prudentia.

Adiutores, quos habuit Ludouicus,
Nec mediocris offerre Fortuna,
Nec niſi ſumma eligere Prudentia potuit.
Optimis qui ſemel adhæſerat,
Eos non eſt coactus mutare:

Digitized by Google

Virtutis illius ſummo miraculo
Vidit in magna Aula ſenium
Magna potentia.
Ab omni liber inuidia nobilis animus
Suorum incrementa ſemper adſpexit vt ſua,
Et tam non malus Amicus,
Quam bonus Princeps,
Vt quos amauerat,
Sibi quàm ſimillimos faceret,
Non dici quidem Reges, ſed eſſe iuſſit.
Quam idoneus alios regere
Tam facilis ab idoneis regi.
Nullum ratus detrimentum libertatis,
Quod ſe ſanioribus conſilijs alligaſſet.
Dei more ita egit omnia
Vt ijs etiam
Quibus vim omnem contulerat
Laudem relinqueret ſuam.
Quis pudor Soli Phoſphorum ſequi?
Et bono Principi ire poſt famulum
Præeuntem cum face,
Deſcribentem itinera, non præſcribentem?
Qui in magno corpore
Manus & humerus laudas,
Memineris
Omnem eſſe virtutem ex capite,
In quo ideo membra omnia coronantur:
Vt vt malignus Interpres
Sagacitati velis adimere
Quod malè adijcias probitati.
Richelios omne dare Sæculum poteſt;
Non Ludouicos:
Cùm facilius ſit inuenire priuatos
Qui norint rectè conſulere,
Quàm Principes
Qui ita velint bene Conſulentes audire;

ELO-

ELOGIVM XXVI.

Ludouici mira in adeundis periculis Fortitudo.

Omni auſus hora prouocare fortunam,
Conatus eius omnes ita contempſit,
Ac ſi ijs ſe obnoxium neſciret agnoſcere.
Se ipſo loricatus animus
Omnia præiuit in diſcrimina non vocatus:
Ibi potiſſimum primas volens,
Vbi priuilegium eſt
Eligere potuiſſe poſtremas.
Terruiſſe illum
Ipſammet Mortem credas.
Adeò interritus
In eius ſæpe faucibus luſit.
Exempli ſui violentia
Therſitem ipſum Achyllem fieri coegiſſet:
Ijs implere ſolitus animis ſe ſequutos,
Vt eius æmuli fortitudinis
Propè ad fines accederent temeritatis.
Ad Engeriacum ſanè eo vſque
Progreſſus Rex eſt.
Quò nec triarium
Ylla parendi neceſſitas,
Nec gregarium vlla mercedis auiditas
Impuliſſet.
Nimirum ſe totum ſuis ita deuonerat,
Vt eos iam non ſolùm authoritate,
Sed ipſo etiam vellet corpore tegere.
Eo regnante
Vix alios agnouit Gallia metus
Quàm quos ipſe hac ſua tanta ſecuritate
Feciſſet.

Pro

Virtutis illius ſummo miraculo
Vidit in magna Aula ſenium
Magna potentia.
Ab omni liber inuidia nobilis animus
Suorum incrementa ſemper adſpexit vt ſua;
Et tam non malus Amicus,
Quam bonus Princeps,
Vt quos amauerat,
Sibi quàm ſimillimos faceret,
Non dici quidem Reges, ſed eſse iuſsit.
Quam idoneus alios regere
Tam facilis ab idoneis regi.
Nullum ratus detrimentum libertatis,
Quod ſe ſanioribus conſilijs alligaſset.
Dei more ita egit omnia
Vt ijs etiam
Quibus vim omnem contulerat
Laudem relinqueret ſuam.
Quis pudor Soli Phoſphorum ſequi?
Et bono Principi ire poſt famulum
Præeuntem cum face,
Deſcribentem itinera, non præſcribentem?
Qui in magno corpore
Manus & humerus laudas,
Memineris
Omnem eſse virtutem ex capite;
In quo ideo membra omnia coronantur:
Vt vt malignus Interpres
Sagacitati velis adimere
Quod malè adijcias probitati.
Richelios omne dare Sæculum poteſt;
Non Ludouicos:
Cùm facilius ſit inuenire priuatos
Qui norint rectè conſulere,
Quàm Principes
Qui ita velint bene Conſulentes audire;

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM XXVI.

Ludouici mira in adeundis periculis Fortitudo.

Omni auſus hora prouocare fortunam,
Conatus eius omnes ita contempſit,
Ac ſi ijs ſe obnoxium neſciret agnoſcere.
Se ipſo loricatus animus
Omnia præiuit in diſcrimina non vocatus:
Ibi potiſſimum primas volens,
Vbi priuilegium eſt
Eligere potuiſſe poſtremas.
Terruiſſe illum
Ipſammet Mortem credas.
Adeò interritus
In eius ſæpe faucibus luſit.
Exempli ſui violentia
Therſitem ipſum Achyllem fieri coegiſſet:
Ijs implere ſolitus animis ſe ſequutos,
Vt eius æmuli fortitudinis
Propè ad fines accederent temeritatis.
Ad Engeriacum ſanè eo vſque
Progreſſus Rex eſt.
Quò nec triarium
Vlla parendi neceſſitas,
Nec gregarium vlla mercedis auiditas
Impuliſſet.
Nimirum ſe totum ſuis ita deuonerat;
Vt eos iam non ſolùm authoritate,
Sed ipſo etiam vellet corpore regere.
Eo regnante
Vix alios agnouit Gallia metus
Quàm quos ipſe hac ſua tanta ſecuritate
Feciſſet.

Pro

Digitized by Google

Pro vno nihil ſibi timente
Omnes omnia metuebant:
Nunquam de virtutis præſtantia dubij,
Semper de fortunæ infidelitate ſolliciti.
Abſumpſit tamen omnes
In his timoribus metus.
Erecta in omnem fiduciam Natio:
Ne vnum quidem Piſandrum
In tot exercitibus numerat,
Cum odioſa videri iam non poſſint
Pericula militi,
Quæ vſque adeò cara fuerint Regi.

ELOGIVM XXVII.

Ludouici in plectendis ſceleribus, ac munerandis virtutibus ſumma Iuſtitia.

Populorum fortunam
Artem veſtram facite, Principes,
Et vt poſſitis beare quos regitis,
Ideas diſcutite quas habetis.
Vnica Ludouico norma Regnandi,
Ad honeſta pellicere magnis præmijs,
Deterrere à turpibus, magnis pœnis.
Obruat veriùs, quàm erudiat imperantes
Præceptorum multitudine Philoſophia:
Tam longum iter peregit ille compendio,
Qui bene ſemper collocauit beneficia,
Nec male ſupplicia;
Adeò vt illius in regno
Tam bono non licuerit eſſe miſerum,
Quàm malo felicem.

Sta-

Statutos à Deo Virtutis nutritios
Reges ſciens,
Tam multis eam honoribus aluit,
Vt vix vllo fuerit ſub educatore robuſtior;
Liberalitatem ſuam infra ſuorum merita
Nunquam paſſus conſiſtere,
Dare paratior quàm offerre;
Vigilias vnius munerans
Somnos alterius excitauit.
Non ideo tamen oblitus
Nequitiam plectere,
Quod totus eſſet in ornanda virtute;
Nihil cauit accuratius
Quàm ne aliena
Nimium diſſimulando flagitia,
Faceret ſua:
Et fruſtrà innocens,
Criminoſæ reus Clementiæ,
Quas malè condonaſſet hominibus,
Deo Iudici pœnas daret.
Digniſſimus quem mundus vniuerſus
Regem ambiret,
Qui quemquam nollet
Inter homines viuere,
Aut impunè malum,
Aut gratis bonum.

ELOGIVM XXVIII.

Laborum amor & patientia ſingularis.

Stertant in palatijs deſides Animæ,
Et vnus ijs ſit labor, tueri otia;
Diuinitatis æmulo Principi
Ne quis in vita vacaret quieti locus,
Mo-

Momenta omnia
Laudatiſſimis curis impleta,
Præſciens annos ſuos
Diuturnos eſſe non poſſe,
Quos adeò ſæculorum omnium meritis
Oneraſſet,
Naturæ auaritiam
Sua correcturus induſtria
Ætatis pretioſæ, vel minimam noluit partem
Perire.
Ne ſuæ quidem miſertus pueritiæ,
Annos, quibus nondum prodeſſe
Hominibus poterat,
Colendo Deo prudenter impendit.
Aſſuetus ſuos in ardua non mittere,
Sed deducere,
Nec imperare ſolùm bella,
Sed per ſe gerere;
Algoris, ardoris, famis comes aſſiduus,
Vitam ſuam fecit,
Et nobile ſolatium ſtrenuis,
Et calcar moleſtiſſimum delicatis,
Æterna conſultatione mentem ſollicitans
Qui & agenda non facilè decerneret
Et acta ſeueriſſimè trutinaret,
Corpus ipſum in animi propemodum naturam
Coegit:
Ita illi & ſomni tempus arctauit,
Et amplificauit laboris.
Nulla re magis, quàm fatigatione recreatus,
Ipſis venationibus ſuis videri potuit
Non tam feras, quàm otia perſequutus.

Digitized by Google

ELOGIVM XXIX.

Ludouici in voluptatum vſu temperantia.

Ludouici palato
Ita dulcis accidit Virtus
Vt præ illa aliam omnẽ contẽpſerit voluptatem.
Cupiditatum mactator
Quæ pati nollent Imperium Rationis,
Affectuum ſuorum Rempublicam
Eodem modo, quo Galliam
Vni coegit Iuſto parere.
Ignorans arcus, & ſagittas Cupidinis,
Qui alioqui tam bene
Omne genus armorum nouerat Martis:
Execratus probroſam authoritatem libidinum,
Quæ ipſoſmet Reges facerent ſeruos ſibi,
Studuit is viuere, qui natus erat,
Vnius Dei famulus, cætera liber.
Galliæ Lilijs faciant alij ab auro pretium,
Sua Ludouicus, nulla re magis voluit
Quàm Candoris admirabilitate laudari.
Supra omnes Telluris eminens ſordes,
Nunquam non directus
In originem ſuam,
Quam cœlo dignam pari ſiue probauit;
Præſentibus vti nolens delicijs,
Qua fide futuras expectaret, edocuit.

Digitized by Google

ELOGIVM XXX.

Ludouici in condonandis iniurijs Clementia.

Iuſtus non quia dictus eſt Ludouicus,
Ideo velit minùs clemens audire:
Omnis in eo virtus mitigauit oppoſitam,
Non excluſit.
Nullius rei magis, quàm iræ ſuæ dominus,
Cùm placatus non poſſet eſſe ſceleribus,
Adhuc mitis eſſe ſtuduit ſceleratis,
Semper ad veniam pronior,
Quam ad pœnam,
Paucorum ſupplicio vtilis vniuerſis,
Vt ſæuiendi occaſiones præcideret,
Affectu Clementiæ
In ſeueritatem conſenſit.
Cui non parceret reo Princeps
Qui Rupellanis toties perduellibus
Peperciſſet?
Ne dilata quidem
In Decimumquintum menſem deditio,
Tantum iræ
In mitiſſima mente collegerat,
Vt quos horrore nequitiæ
Vel ipſa deſtituerant elementa,
Calamitati ſuæ puniendos relinqueret:
Donans humanitati,
Quod hęreſi non deberet;
Fœdas inuiſæ plebis reliquias
Non videre ſolùm ſuſtinuit,
Sed & aggreſſus eſt paſcere,
Ac ſi ob id vnum
Fieri portarum Dominus poſtulaſſet,
Vt non tam ſibi, quàm beneficijs ſuis
Per

Digitized by Google

Per eas pateret ad impios aditus,
Laxatam Vrbem ſua illico impleuit annona.
Stupuit Hæreſis
Nouam ſibi penitus charitatem.
Ventris Idololatra
Adorauit ſolatium famis ſuæ,
Damnauit pleno ore veſaniam,
Quæ tamdiu ea ſibi ſubſidia diſtuliſſet;
Ita Rupellam viſus eſt bis viciſſe,
Qui pertinaciam iam armis edomitam
Adhuc beneficijs expugnabat.

ELOGIVM XXXI.

Ludouici in cælites omnes affectus.

Ludouici mores
Soli tibi amore rectè deſcribant:
In ijs ille prodidit
Quidquid in ſe modeſtia tegeret:
Eorum ſtudioſiùs nutriens famam,
Quorum æmularetur ſtudioſiùs vitam;
Dum aliena latere non patitur merita
Vulgauit ſua.
Bellatori eximio
In ipſamet virtute pacifica
Militares animi placuerunt.
Ignatij præſertim, & Thaumaturgi Xauerij,
Quorum ſupremos honores
Primum à Gregorio XV. beneficium poſtulauit:
Quid non impetraret
In tam bona cauſa
A Patre tam Beneuolo Primogenitus?

In

In Capite ſuo tot victrix difficultatem
Laureata Societas.
Hiſpanam patre, Gallicam patria
Patribus ſtudijs
Regna tam diuerſa fouerunt,
Quid hic rides
De Gebennenſi Ganea Miniſtelle?
Ingratus tibi placere potueram,
Gratus malui diſplicere.
Munerauit noſtra in te odia
Tam pretioſis amoribus Ludouicus:
Ibi collocauit beneficia,
Vbi ſuos inuenit affectus:
Hoſtium ſuorum hoſtibus
Inimicus eſſe non potuit,
Iuſtitiæ ſuæ partem ratus eos tueri
Qui Fanaticam Religionem
Mitiùs non inſequerentur libellis
Quàm ipſe Bellis.

ELOGIVM XXXII.

Ludouici in lethalis noxas odium immortale.

Iuſto vnicus hoſtis, Iniquitas,
A qua meminerat
Laniatam ſibi Patriam,
Sublatum Patrem, occiſum Deum
Innocentiæ tenaciſsimus,
Quam nullo pretio venalem haberet,
Illam vnam incolumem volens
In quocunque periculo,
Eiuſdem detrimentis, aut lucris
For-

Digitized by Google

Fortunam ſuam omnem expendit.
Non quia Argus in ſuorum cuſtodia,
Ideo aut Monoculus, aut cæcus in ſua.
Omnem ſapientiam, ac probitatem
In conſcientiæ ſollicitauit excubias,
Qui tot hoſtium irruptiones
Semper excepit intrepidus,
A minima quaque nequitiæ larua deterritus;
Securitatem ſuam
Solo Dei timore fundauit.
Semper ita deliberans
Vt nunquam vtilia præferret honeſtis;
Interrogare aſſuetus
Non quæ poſſent fieri,
Sed quæ deberent,
Aulicis ſuis
Neceſsitatem quamdam probitatis
Indixit.
Cùm amare neminem poſſet,
Qui aut non eſſet optimus,
Aut vſque ad optimorum deceptionem
Non poſſet talis videri.
Quid hic tecum ſuſurras liuor improuide?
Succenſere Regibus
Nec meum, nec tuum eſt?
Illi præſertim
In quo, & tu nihil
Præter fortunam odiſti.
Errare ſi potuit Ludouici ingenium,
Quia hominis,
Errare voluntas non potuit,
Quia erat ea ipſa, quæ Dei.

Digitized by Google

Non effectus.
Fortuna Regis
Non excludit naturam hominis,
Cui maius ex qualicumque patientia meritum,
Quam quocumque ex diſpendio probrum.

ELOGIVM XXXIV.

Mortalitatis ſuæ memor, regno ſuo conſulit.

In Ludouici teſtamento
Ne quis ſe quereretur præteritum,
Reliquit omnibus deſiderium ſui.
Iuſtitiæ illius coronamentum hoc fuit
Ita ſeipſum
Iuxta cuiuſque in ſe iura partiri,
Vt cederet ſpiritum Deo,
Exuuias tumulo,
Annos tempori, famam æternitati,
Filio Regnum, Vxori Regem,
Principibus bene imperandi,
Et in commune omnibus
Bene viuendi optimam formam.
Ita cogitans ad quos migraret,
Vt quos relinqueret non eſſet oblitus,
Suæ damna prohibiturus abſentiæ
Sibi ſimilibus rerum habenas commiſit:
Vtilis in eo vel maximè
Quod videri neceſſarius non curaret.
Procerum beneuolentia
Hæredis ſui muniturus infantiam
Ijs ipſis ad ſe vocatis,
Quos varia fortuna

Diſtraxerat,
Tot dedit Paci curatores;
Quot habere auctores bella potuerant.
Anteöccupatione ſagaciſsima vſus,
Minus beneuolis ea ipſa contulit beneficia,
Quæ à ſola eius morte ſperaſſent;
Atque ita eos ipſos lugere
Suo coëgit in funere,
Qui videre potuerant finem illius
Suorum omnium gaudiorum initium
Potuiſſe.

ELOGIVM XXXV.

Intentus ad Cœleſtia rebus humanis penitus Vale dicit.

Ludouico vt ſemper cordi fuerit cura regni,
Prima & poſtrema extitit cura ſui.
Vitæ, quæ tota fuerat
Parænetica ad virtutem Oratio,
Eſſe mors peroratio debuit,
In quam & vehementiores affectus,
Et vtiliora ſuaſioni argumenta coirent.
Iacuit in Cubili,
Ac ſi ſediſſet in Cathedra
Principum magiſter idoneus.
Et felicibus ingens exemplum modeſtiæ,
Patientiæ miſeris,
Virtutibus ſuis fortunam omnem erudijt.
Quam alienus à voluptatibus viuens,
Tam exemptus à doloribus moriens,
Videri potuit

Ab

Digitized by Google

Ab ijs ipſis, quas tolerabat,
Moleſtijs abfuiſſe.
Se oblitus Regem, Maritum, Patrem,
Vt iam ſolum hominem meminiſſet,
Amaſius æternitatis
In manifeſta erupit odia temporis.
Rerum omnium inanitate deprehensà,
Vbi decepti cæteri lugent,
Gaudere potuit
Antiquæ credulitati ſuæ
Tàm bene experientiam reſpondiſſe.
Nemo dare vitam libentiùs debuit
Quàm qui vnius diſpendio
Geminam lucraretur,
Nunquam aut apud Deum in Cœlis,
Aut apud homines in Hiſtorijs moriturus.

ELOGIVM XXXVI.

Ad mortis nuncium hilaratur.

Deum anhelanti
Nullus dolor humana deſerere:
Summa verò lætitia
Fluxum regnum æterno muſare.
Mortem non ita raró viderat,
Vt eius adhuc formidare poſſet adſpectum:
Sed nec ita adhæſerat vitæ,
Vt eo ſolui glutino pœnam putaret.
Miles emeritus impetrata miſsione,
Quidni lætus ea bella deſereret,
Quæ vt felicia ſint,
Nunquam ſine populorum detrimentis

Digitized by Google

Emolumenta Principum emittit?
Qui omnia ſibi gaudia
In horam illam diſtulerat,
Ea tunc primùm ſecurus admiſit,
Cum ſibi ab vllo eripi iam vix poſſent.
Spei plenus metum omnem excludens,
Quia vixerat vt moriturus,
Mori quoque debuerat victurus.
Iuſti animam tormentum mortis non attigit:
Tota illa eminens ſupra corpus
Nullam illius ſenſit iniuriam.
Quid id ſemper egerat,
Vt nulli quidquam deberet:
Nullum ſoluit libentiùs debitum,
Quàm ſupremum.
Oblatum aliàs recuſauerat ſæpe natura,
Et deſiderij vehementia
Inferentem violentiam Cœlo
Terras adhuc tolerare coegerat:
Vicit tandem
Iterata toties oblatio reluctantem,
Addita Ludouici trophæis Natura
Iam clamat
Illi cedendum in omnibus,
Qui terras armis ſubegerit, Cœlum votis.

ELOGIVM XXXVII.

Aſcendenti in Cœlum Chriſto Triumphi comes adiungitur.

Pro tota Ludouici vita
Meliorem Apologiam
Ipſa morte Ludouici non habeas.
Plenus deſiderio pacis, à bello diſcendens
Tot

Tot exercituum Imperator,
Quia Duci Chriſto meruerat
Ab eodem cæleſte Capitolium Aſcendente
Triumphi comes aſſumitur.
Commori Chriſto qui totà vità didicerat,
Eodem quo ille migrare è mundo die
Fælicitatis ſuæ partem putaſſet;
Attendens tamen æquiſſimus Arbiter,
Magis quid Regis merita poſcerent,
Quàm quid vota,
Iam non illum dolorum,
Sed gaudiorum comitem voluit.
Duos vna pompa
In Cœlum extulit Reges,
Quorum vterque ſequi volentibus,
Quàm alta reliquerit in terra veſtigia,
Montes, menteſque docebunt.
Nec malè dubites
Illum in nube ſublatum,
Alioquin
Vnde in Chriſtinæ ſerenitate tot pluuiæ,
Niſi à nube
Quæ & hunc illi Solem eripuit?

ELOGIVM XXXVIII.

Eodem Henricus Pater mortuus die, menſe, hora.

Profanatum Henrici magni cæde
Menſem, diem, horam,
Seipſo Ludouicus expiat Immolato.
Hæc vltima pio Regi cura ſuperfuit.

Digitized by Google

Vt poſtquam temeratiſſima ſacrauerat loca;
Impiata ſacraret, & tempora.
Galliæ Lilia è cœlo veniſſe
Nouo mundus didicit argumento:
Viuendi leges à terra non accipiunt,
Quæ quo naſci menſe debuerant, moriantur.
Iuſtus, heù nimium Princeps!
Vitam vbi eſſe didicit rem non ſuam,
Eam Natura vel non exiguenti reſtituit;
Ad Libram, in qua genitus,
Ita ſemper expendit omnia,
Vt mori malens,
Quam argui moræ reus
Regnum eo ipſo, quo acceperat momento
Deponeret
Planè Chriſtianiſſimus
Qui vel in hoc voluerit
Conuenire cum Chriſto,
Quod quæ illi viuendi fuerat;
Eadem ſibi eſſet meta regnandi.
Decimaquarta menſium dies
Fuerit olim fauſtiſſima Galliæ,
Cui & ad Abduam contra Venetos,
Et ad Meregnanum contra Heluetios,
Et ad Cereſolas contra Cæſarinos
Victorias dedit:
Ne tunc quidem credi poſsit infeſta,
Cùm talium Regum donat initia.
Cedite, Superi
Ludouico Decimoquarto fortunam;
Quam olim
Decimæquartæ indulſeratis diei.
Sub Rege felici
Nullus infelix eſſe Galliæ dies poteſt.

ELO-

ELOGIVM XXXIX.

Mortuus ab vniuerſa lugetur Europa.

Ludouico viuente
Quia moritura bella præſenſerat,
Mortuum ita luxit Europa,
Ac ſi non illi ſolùm,
Sed paci etiam parentaret.
Diſcordi mundo tam ingens fuerat
In illius amore concordia,
Vt ijs ipſis carus, quibus non vtilis,
Propemodùm inter tot bella hoſte careret,
Cùm amicorum erga ſe animos
Vel in hoſtibus inueniret.
Dilexère Regem ij ipſi qui Regnum oderant,
Nec vllus ex eà potuit iacturà lucrum
Agnoſcere,
In qua ſpem pacis amitterent.
Qui non amitterent ducem belli.
Condonent Superi nobis,
Qui tale theatrum amiſimus,
Omnem intemperantiam luctus.
Modeſtia, quà ſe magnificè lugeri prohibuit,
Lacrymas, quas ſiccare voluit, excitauit.
Vetitum nitimur in dolorem,
Et eius obliti iuſſa,
Dum meminimus merita,
Affectu reuerentiæ obedientiam violamus.
Rex iuſta velit nemo non eadem volet:
Cæterùm quoties ſe contemni præceperit,
Nunquam nos habeat obſequentes.

Digitized by Google

ELOGIVM XL.

De tota Ludouici Iuſti vita Iudicium.

Adulationis officia qui non admiſit viuus,
Non ferat mortuus.
Inflent Elogia tumidos,
Iuſtos Iuditia ſola delectant.
Ludouicus Henrico & Mariæ parentibus
Summæ complementum fortunæ,
Multiplici coæuus prodigio.
Sæculi ſecum naſcentis initia dedicauit.
Puer ità factus ad regnum,
Vt illi Diuinæ iudicio Prouidentiæ,
Vltra decennium differendum non fuerit,
Galliæ ſoli occumbenti ſuffectus Oriens
Pronum in veſperam diem perſeuerare coegit.
Nactus vxorem,
Quam parem annis Natura,
Non imparem meritis
Virtus & fortuna feciſſent;
Vel ipſis Hymenæi facibus
Hæreſi morituræ rogum accendit.
Erepturus rebellibus nocendi facultatem,
Quando voluntatem non poterat,
Sæpe conciſos, & non niſi ſerò correctos
Edocuit,
Tam Iuſto nihil eſſe inuium,
Quàm Impio nihil tutum.
Ad expiationem hanc Regni ſui
Tanquam ad rem maximè ſacram
Sub habitu Bellatoris
Affectu Sacerdotis accedens,
Ità in ea verſatus eſt, vt videri potuerit
Armis ſuis non tam voluiſſe ſontes plectere,
Quàm

Digitized by Google

Quàm Deum placare.
Vicerit ad Rupellam Elementa omnia;
Plenior illi gloria
Expugnaſſe oppoſitis moribus
Perduellium animos,
Quàm ineluctabilibus machinis muros.
Eos ſortitus adminiſtros.
Quibus ſuam videri poſſet
Contuliſse cum authoritate fortunam;
Adeptus victorias
Continentes in Inſulis, ſtabiles in Euripis,
Galliam ſuam in bella deducendo pacauit.
Seu pugnaret, ſeu oppugnaret,
Seu propugnaret.
Vbique tam ſtrenuus miles,
Quàm prouidus Imperator,
Omnes Europæ fluctuantis
Occupauit affectus,
Spes, metus amores, admirationes.
Annos eius, ſi à rebus geſtis recenſeas,
Non è Menſibus, ſed è *Sæculis*
Credes eſſe conflatos.
Virtuti per omnia vectigalis,
Illius aut vlciſcendis iniurijs,
Aut exornandis meritis,
Animi & regni facultates omnes impendit
Vbique Iuſtus,
Si vitæ rationem attendas,
Vbique felix,
Si conditionem fortunæ;
Non alio fuit miſerandus ex capite,
Quàm quod non potuerit
Aut bella componere,
Aut ſaltem hoſtes mutare.

IN FVNERE.
VICTORIS AMEDEI
SABAVDIÆ DVCIS,

Inſcriptiones, Elogia, & Epitaphia,

Inſcriptiones ad Saluas Templi.

I.

Pluuius vobis, ò Ciues, autumnus eſt,
Serenitate ſepulta.
Vlciſcimini fletibus præteritæ felicitatem æſtatis
Dat argumentum Chriſtiana,
Damna veſtra lugens in ſuis.
Noua Artemiſia meliori Mauſolo parentans,
Auaritia quadam doloris,
Suis non contenta gemitibus,
Inhiat alienis,
Hoc primum pendite tributum regnanti;
Nullum maiori titulo debuiſtis.

INSCRIPTIO II.

Ollus letho datus eſt Princeps optumus;
Adeſto Ciuis, & lacruma.
Par fuat illum ita pollincere,
Qui hoc vnum peccauit in ſuos,
Quod mortuus eſt:
De aſperſione, & Rogo ne cures:
Illam à Chriſtianæ oculis,
Hunc habet a corde.

IN.

INSCRIPTIO III.

Nulli hic manes, aut Medioxumi
Placandi ſunt;
Adhuc tamen Denicales ferias
Inducunto Pontifices,
Leſſumq; habento matres,
Patres purpuram exuunto.
Iuſtitium eſto toti Vrbi.
VICTORIS oſſua vt bene ceſquant,
Adhuc COR eius remanet inſepultum.

INSCRIPTIO IV.

Vnica conculcata Vita
Vindemiam lacrymarum dedit October
Ebrius exinde dolor, inſanit, furit.
Vt ſe ipſum extinguat, incendit omnia.
Huc huc ſuppetias, Ciues,
Heroina enim quælibet ſit,
Sola illum nequeat Chriſtiana frænare.

INSCRIPTIO V.

Orgia mortis hæc ſunt,
Accurrite ad celebritatem Mortales.
Triumphare illa voluerat
Multis exercitibus in vno Duce deletis.
Vita tamen clientis iniuriam Virtus,
Deturbatam è curru, rota æternitatis attriuit.
Habetis luctus argumentum,
Habetis & gaudij;
Alterum mors, alterum Virtus miniſtrat.

INSCRIPTIO VI.

Qui vos toties coegit ad gaudia Victor,
Semel à morte Victus cogit ad lacrymas.
Ita ſe Principem memorans,
Vt hominem videretur oblitus
Cum incolumitati proſpicit veſtræ,
Defuit ſuæ.
Seruate illum gloriæ,
Quem minus potuiſtis naturæ,
Animus totus cum fuerit
Vix vlla ſui parte ſubiacet fato.

INSCRIPTIO VII.

Animo, quo pupillos decet accedite.
Iam non ſolus eſt ſine Patre Hyacinthus,
Patrem omnes amiſiſtis in Principe.
Si quæ poſthac felicitas oriatur,
Poſthuma ſit, Patre ſepulto.
Iuſta ſoluite, quæ debetis.
Æquum non eſt,
Vt careat Prouidentiæ ſuæ fructu,
Qui nullius voluerit lacrymas viuus,
Quò plurimum haberet mortuus.

Ad ſtatuas Iuſtitia, Prudentia, Fortitudinis, & Temperantia.

INSCRIPTIO I.

Tanto funeri Præficas
Omnes deceat adeſſe Virtutes.
Omnes regnarunt in viuo,
Omnes lamententur in mortuo,

Lu-

Luctum indicit hac lege Iuſtitia,
Vt in luctu iam non timeatur exceſſus.
Priuatus ſæpe cum vitio,
Bonus Princeps
Semper cum virtute lugetur.

INSCRIPTIO II.

Autumnum euadere nequijt
Summa maturitas:
Alieniſſimo cecidit tempore,
Quamuis ceciderit ſuo.
Nox nobis diem abſtulit
Sole ſublato,
Suprema hora, Victori fuit ſecunda,
Non nobis:
Lugete damna veſtra populi,
Si noſtra non vultis.
Virtutes aliæ Principem,
Prudentia etiam Magiſtrum amiſit.

INSCRIPTIO III.

Victoris exitum ſine lacrymis
Stupor non Fortitudo pertulerit,
Vidit illa cadentem,
Quo toties ſteterat,
Periculorum deſtituta conſorte
Iam non adiret pericula,
Niſi Victorem ſciret
In HYACINTHO ſuperſtitem.
Mortui ſpiritum bibit Artemiſia ſecunda,
Non cineres.
Eum inde. Fortes, repoſcite;
Armare adhuc ille vos poteſt.

Digitized by Google

INSCRIPTIO IV.

Temperantia, quæ in alijs virtus eſt,
Viſa propemodum in Victore Natura.
Obſequi à ſeipſo durus exactor,
Ad virtutis cuſtodiam
De Principe ſtationarius
Omni excubias egit in ſenſu.
Nulla illi venatio gratior, quàm laboris,
Illum vnum perſequutus in ſyluis,
Solas habuit à vitæ difficultate
Delicias.
Felix, qui ſcierit
Perituræ felicitati detrahere,
Quod lucraretur æternæ.

ALIÆ INSCRIPTIONES ENCOMIASTICÆ.

I.

Cor amiſit Chriſtiana,
Quod tot accenſis facibus adhuc quærit.
Eius miraculis additum,
Quod ſine corde iam viuat.
Excors tamen illa non eſt,
In quam pro vno,
Omnium corda migrarunt.
Ad luctus, & lacrymas à Victore relicta,
Dolori nubens
Pientiſſimo,
Et de ſe optimè merito Coniugi,
Quam cum ſe habuit,
Eandem cum Deo
Æternam pacem precata,

In

In amoris ſui ſolatium
Hanc molem accendit.

INSCRIPTIO II.

Coronæ ſuæ victor inſerendo HYACINTVM,
Pretium addidit, & nitorem.
Viliori gemmà ornari ille non debuit:
Talem ſortitus,
Qualem potuiſſet eligere,
Non habuit moriens quid optaret,
Quod ſe ſuperſtitem ſciret in filio.
Viuat, & floreat tantus Hæres;
Qui annos excedat fortunam Patris.
Pro Regis ſui incolumitate Sabaudia
Non aliam vouet victimam,
Quàm ſe ipſam.

INSCRIPTIO III.

Heroibus ita diues Sabaudia eſt,
Vt de ſolis Amedeis,
Iam dare Decimas poſſit:
Tot in miraculis memor Naturæ,
Vt illa ſuis in operibus Decumanum,
Ita ipſa in Principibus Decimum,
Maximum creat.
Amedeo igitur Maximo, quia decimo,
In quo vno Amedei omnes reuixerint;
Tot inter bella pacifico Principi,
Æternum plaude Sabaudia.
Hoc tibi in tanta iactura ſit lucrum,
Heroas tuos omnes
Poſſe vnius honoribus hilarare.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO IV.

Frequens iam in Sabaudia monſtrum eſt,
Vt vna ceruix, ingenia plura circumferat
In vno victore.
Et ſuum Philippus Auus genitum paci,
Et ſuum Carolus Pater
Idoneum bello depoſuit.
Vnus vtrique experimendo non impar.
Sęculi ſui communi remedium,
Ampliorem ſe in illius fecit anguſtijs.
Oraculorum more pauca loquutus
Eorundem authoritate
Plura ſopiuit bella, quam geſſerit.
De ferreo ſæculo aureum fecerat,
Si tam facilè potuiſſet
Alienis cupiditatibus imperare, quàm ſuis.

INSCRIPTIO V.

Fœderata Cœlo Sabaudia eſt,
Habet ibi obſides ſuos,
Quibus vt ſe Victor inſereret,
In terra Cæli moribus aſſueuit:
Non ideo minus obſequens Deo,
Quod hominibus imperaret.
De exhibitis eidem honoribus
Suos auxit,
In templis æquè religioſus,
Ac frequens.
Illuc videri potuit,
Ex Aſceterio, non ex Aula venire.
Dei Matrem vt appenſam in Collo,
Ita fixam gerens in corde,
Vulgi ſuſpicionem auxit,
Aſſuram Sabaudiam Chriſto eſſe.

IN-

INSCRIPTIO VI.

Fluctuanti Regno Victor
Par procellæ Dux datus.
Tam facilè declinauit aduerſa,
Quàm vicit.
Sagacitate ſua corrigens
Quod temporum fortuna peccaſſet,
Patri propior menti ſublimitate,
Quàm ſanguine.
Eiuſdem iacturam
Tolerabilem mundo fecit.
Armis ſuis vni ſemper militans Paci,
Quietem quàm daret Italiæ,
Adiment ſibi.
Beare illam potuerat,
Niſi fuiſſet vitæ claritate,
Quàm mortis opportunitate felicior.

INSCRIPTIO VII.

Aliorum victor, peritura contentus corona,
Æternam exigit Victor ſui.
Exorſus à propiori hoſte certamina
Se ipſum, primum ſibi trophæum ſtatuit.
Altitudo tanta
Quæ infra ſe agerentur ne ſenſit quidem.
Magnitudine rationis
Occuparat affectionibus locum.
Præter Virtutem neſcias quid amarit,
Præter Deum quid timuerit:
Mortem ipſam
Ne ſuo quidem dignatus eſt metu.
Libero vultu communem neceſſitatem
Excipiens,

Vlerò

Vltrò venientem, ac ſi vocaſſet, admiſit,
Ne tum quidem cogi viſus,
Cum reſilire non poſſet.

INSCRIPTIO VIII.

Quies omnis violenta Victori:
Vnica illi ex laboris mutatione ceſſatio:
Somni diuturnioris ne capax quidem,
Nihil magis odit in morte,
Quàm quod ipſa etiam ſomniu- eſt,
Conſuetudo illi,
Quod alijs conatus extremus.
Æquè admirandus,
Quod tam celeriter moueretur,
Ac quod tam perenniter ſtaret;
Nullius rei magis Dominus,
Quàm corporis ſui,
Eius ita grauauit obſequia
Vt diu per tam ingenti animo,
Ferendo non fuerit.
Prouidus in hoc vel maxime,
Quòd labores dederit tempori,
Quietem ſepoſuerit æternitati.

INSCRIPTIO IX.

Victoris animus maior
Quàm vt poſſet à fortuna circumagi;
Cum circa eum omnia mouerentur,
Semper immotus,
Si nequitiam excipias, omnium capax.
Multas cùm paſſus ſit,
Nullas ſenſiſſe viſus anguſtias.
Grauatus leuitate non ſua,

Im-

Imbecillitatem putauit pondus excutere,
Iniurias eò æquiùs tolerans,
Quò iniquius inferrentur
Celſiorem ſe fecit,
Quàm vt ad illum
Doloris tela pertingerent.
Tanta illi de ſublimitate Serenitas,
Vt natura credi potuerit, quod erat titulus.

INSCRIPTIO X.

Pudicus vel ab Horoſcopo Victor
In Virgine natus eſt.
Nemo melius ſideris ſui mores expreſſit.
Priuati moderatione Principem agens,
Voluptatibus offenſus verius, quam illectus,
Turpium odio ſæpe nec honeſtas admiſit.
Dedignatus ſemper eſt
Cypriæ ſeruire, Rex Cypri:
Memor natam illam Ditioni ſubditam ſuæ,
Agere Dominam non permiſit.
Affectionum prauitatem
Dedolans ad amuſsim rationis,
Grauior, quàm vt eius aſpectum
Pati leuitas poſſet,
Delectabile id vnum credidit, quod honeſtum:

INSCRIPTIO XI.

Quo Victor appulerit conijce;
BEATRIX præijt abeunti,
Dux eò magis fida, quòd filia.
Hiſtoria eſſe cœpit in Principe,
Quod fabula fuerat in Poeta,
Vt BEATRICEM ſequuto Cælſi patuerit,
Eò

Eò ſecurus ingredi potuit,
Quò per egenos præmiſerat aurum ſuum.
His ille metatoribus vſus
Æternam Domum extruxit.
Libentius beneficia fœnerans,
Cum qui acciperet ſoluendo non eſſet;
Fideiuſſorem Deum ita deuinxit,
Vt regno carere non timeat.

INSCRIPTIO XII.

Sole Libram ingreſſo
Decreſcere lux magis cœpit hominibus,
Quam diebus
Hyemem non metuunt flores Sabaudiæ,
Adhuc tamen ad eiuſdem præſagia
Veris colliguntur in cellas.
Natus cum floribus Princeps,
Raptus cum fructibus,
Quæ veniens dederat gaudia,
Abſtulit diſceſſurus,
Hoc vnum de illo conqueri mundus poſsit
Eo naſcente riſerunt omnia,
Dies triumphalis vni alteri Natalis Victori,
Menſis iam non roſarum ſolum,
Sed & Heroum ferax.
Pater victorias vaticinatus in filio,
Regnum vniuerſum
Fauſtiſſimis tunc in Encænijs,
Principum ſuorum primitias.
Per ſalutare lauacrum
Chriſto dedicans in Philippo.
Viſus eo die Carolus
Beneficijs cum Cælo certaſſe.
Qui tam ſplendide

Pri-

Primam Deo vouebat Prolem:
Secundum meruit.
Authorem prodidit donum,
Et pietatem, cuius præmium erat, expreſsit.
Virtutis alumno pereunti luctum fecit Natura
Silentium auibus caluitium ſyluis indixit;
Ita Victor violentia quietis ſuæ
Commouit omnia.

INSCRIPTIO XIII.

Vercellis ſacellum vnicum
In Carolo, Amedeo, Victore,
Gradum omnem probitatis includit,
Eumdem in tumulum
Bonus, melior, & optimus conſenſerunt.
Ita ne mortuus quidem Victor
Alijs potuit adhærere, quàm Bonis.
Relinque hic, Sabaudia, luctus tuos:
Diffidis ſuperſtiti, ſi plus æquo luges amiſſum.
Vt tibi fructus innumeros
Vnico decerpto Autumnus abſumpſerit,
Arrham magnorum fructuum Florem habet,
Quamdiu apud te in Chriſtiana & Filio
Florent Lilia cum Hyacinthis,
Hyemem ne timeas in vere tuo es.
Victorem ita mortuum geme,
Vt immortalem agnouiſſe credaris:
Et iucundior, & vtilior tibi
Eius vitæ memoria poſsit eſſe, quàm mortis.

IN-

INSCRIPTIONES.

Quibus ſingularia eiuſdem Principis Facinora commendantur.

INSCRIPTIO I.

Cum Numeroſa Duce congreſſus, quo Sabaudiam diuidere volentium conatus eluſit, Et Conſanguineum Principem Inimicorum armis ereptum, ſuis reſtituit.

Semel vinci Sabaudia potuit,
Quia ſecum ipſa concurrerat.
Tantum tamen inuidiæ gaudium,
Victor inuidit.
Laceſſitus ab hoſte,
In quo æquè genus amaret ſuum,
Ac ſcelus execraretur alienum,
Armis exterritum
Maluit recuperare, cùm poſſet perdere,
Victoria illi nulla gratior,
Quàm quæ beneficijs parta eſt.
Lætus quod in illo conflictu,
Nec ſuo generi quidquam,
Nec honori perijſſet.
Dei more vultus iniurias,
Natum Imperijs Principem,
Perditorum conſilijs ſeruire coactum
Libertati reſtituit, dum repreſſit.
Sabaudi nimirum,
Non in ſolo ſtemmate,
Leones ſunt:
Fortiores quam vt vincantur ab ira,
Placati ſupplicibus, elatos conculcant.

I N-

Digitized by Google

INSCRIPTIO II.

Acta Turonibus occaſione coniugij quando domeſtica Gallia diſſidia Reginæ Matris cum Rege mira felicitate compoſuit.

Rarò nubit Sabaudia,
Quin de extinctis Bellonæ facibus
Hymeneo tædas accendat,
E Victoris Connubio
Prima de parta pace fœcunditas.
Domeſtico bello diuiſa Gallia
Illum potuit Mercurium ante noſſe,
Quam Martem.
Perditorum ſuſurris
Hinc Regem, hinc Reginam trahentibus
Suſpicionum nubibus hinc indè denſatis
Præparabatur materies luctuum,
Niſi Sabauda ſuperinducta ſerenitas
Pluuiam diſſoluiſſet:
Renaſci ſibi viſus eſt Ludouicus,
Qui de nouo Matrem acquireret.
Se viduam propè eſt oblita Maria,
Cum citra dolorem parientium
Iterum Mater eſſet;
Ab vtroque tamen retulit Victor
Laboris ſui magnam mercedem,
Chriſtianam.
Pariet adhuc illa Sabaudiæ
Poſthumam Pacem
Quam maritus Galliæ peperit,
Nondum Pater.

Digitized by Google

Vulnus ad Verrucæ Pontem, quo eius magis facies, quam æquanimitas læſa, cùm, ac ſi eſſet extra ditionem Fortunæ è veſtigio non diſceſſit.

Vnicam ex virtutibus Fortitudinem
Victoris modeſtia tegere mundo non potuit,
Eius ille ſtigmata geſsit in vultu.
Ad Verrucam
Immortalitate iam in tuto repoſita
Mortem laceſſens,
De Ponte magis,
Quàm de fronte ſollicitus,
Tam certus periculi, quàm contemptor;
Opportunitatem fortunæ dedit,
Vt diceret.
Quo animo fuerit aduerſa laturus.
Firmior quàm vt Plumbeæ, cederet glandi,
Quod eſſet illi ſub oculo vulnus
Tam non ſentiens, quàm non videns,
Læſum ſe eſſe omnium cognouit extremus;
Hoc de Achille plus habens,
Quod vulnera cum poſſet eludere,
Pati mallet.
Fluxit de læſa cute plus gloriæ,
Quàm cruoris,
Et Verrucæ tantumdem conſtantia ſuà,
Quantum Padus alueo attulit, munimenti,
Ita pari ſemper Sabaudia merito
Agit, & patitur.
Aſſueta pridem ſecuritatem ſuam
Nec tempori debere, nec ſorti.

INSCRIPTIO IV.

Pax ad Claraſcum Eius opera duratura diutius, niſi Italia quieſcere neſcientis fatum obſiſteret.

Victoris prudentia
Quò clarior illuceſceret mundo,
Coire Mundus, debuit ad Claraſcum.
Ea Primarium Actorem in ſcena,
Vt citra tumultum ſpectarent
Heroes ſuos omnes
Germania in Galaſcio,
Gallia in Toeraſio, miſit,
Singulis iam de hoc vno certantibus,
Vt Victori pares obijcerent.
Miratus mundus eſt inſolentiam fori
Vt nouo exemplo eius in ditione
Cauſa cognoſceretur,
Cui ne aſſumeretur in Iudicem,
Obeſſe potuerat, quod Actor eſſet.
Quæ tamen de Victore fuit opinio,
Ne propria quidem in cauſa
Creditus erroris eſt capax,
Ita præiudicium omne diluerat
Tantæ prudentiæ, & probitatis authoritas.
Indicta comitia illa quod ſint,
Vrbano, Ferdinando, Ludouico
Debeat Mundus.
Quòd diſſoluta ſæpe non fuerint,
Victoris indiuiſa laus eſt.
Italiæ diu quieti laborans
Malaciam procellis induxerat,
Niſi eam nouus è Suecia Turbo ſoluiſſet,
Patris cauſam non ſegniùs agens, quàm ſuam,

Ab

Ab armorum peritia iam abunde laudatum,
Ab eorum quoque Iuſtitia
Commendabilem fecit.
Vbi totius Europæ ſuffragijs definitum,
Malè negata Carolo,
Quæ, quia iuſtè per bella petierat,
Pace inità darentur Victori.

INSCRIPTIO V.

Auctum Regnum acceſſione nouæ Prouinciæ, Roboratum reſtaurato cum Heluetijs fœdere, Ornatum, ædificiorum ſplendore.

Bonorum, quæ Regno ſuo Victor intulerit,
Tam dulcis experientia,
Quam amara recordatio eſt.
Septem dies, quibus operatus eſt Deus,
Per annorum, quà regnauit Hebdomadam
Æmulatus,
Annos ſingulos
Singularibus beneficijs inſigniuit.
Auctum primo regnum eſt,
Defenſum poſtremo;
Alios ex fugata Peſte,
Ex pace parta, ex federibus innouatis,
Ex ornatis, ac munitis Vrbibus
Rectè diſtinxeris,
Ipſamet Elementa
Didicerunt innocentiam ſub bono Principe.
Vita ſua tabidus Aer,
Auaritiam ſterilis Terrà correxit,
Placato per innocentiam Deo,
Homines per beneficentiam attrahens,
Hel-

Helueticorum fidem
Nouum Regno ſuo murum extruxit
Victrice manu porrectà vinciens fœderatos,
Dedit beneficia,
Vel cum videri potuiſſet accipere.
Immortalitatem ita per ædificia quærens,
Ac ſi eam iam non haberet aliunde.
In Domo marmora Magnificentiam ſuam
Delineauit veriùs quam incluſit.
Ne tamen primus de ſuis
Crederetur minus genitus Cælo,
Si ſe dignam Regiam habuiſſet in terra,
Eà non abſolutà diſcedens,
Ineluctabili argumento conuicit,
Aliorum commodis ſemper ſe ſtuduiſſe,
Non ſuis.

INSCRIPTIO VI.

Noua Conſtitutiones ſancita: Religio non decretis minùs, quam exemplis adiuta: Repreſſa Hareſes: amati Pauperes: ornata Templa.

Victorem neſcias,
An illuſtriorem ſeruatis antiquis;
An vtiliorem nouis ſanctitatis legibus credas.
Priuati virtutem agendo,
Principis Maieſtatem præcipiendo
Tam feliciter, quàm conſtanter expreſſit.
Nemo ferendis legibus aptior,
Quàm cui honeſtas ſola lex eſſet.
De Rege cum haberet omnia,
Nomen illi deeſſe non decuit.
Hoc ipſum tamen vt aſſumeret.

Tempus, non ambitio perſuaſit.
Subegerit ſibi Thracia Gyprum,
Victori deeſſe Regna poterunt,
Non iura regnandi.
Per imperia ſeruiens æquitati,
Religioni tam addictus veræ,
Quam inſenſus fucatæ,
Pro fide certantium labores
Vtiles fecit eſſe de ſuis
Nouos Gigantes
Ex Alpibus oppugnantes iterum Cælum
Ioui ſuffectus fulminare, vel de terra
Parauerat,
Niſi fœcunda Monſtrorum ſæcula
Miniſtras fulminum Aquilas
Alio diuertiſſent.
Vectigalem ſe Deo ſciens,
Tributa ſua ornandi
Eiuſdem templis impendit.
Eumdem veneratus in ijs
In quibus contemni potiſſimum ſolet.
De Pauperibus
Solos quos ignorauit, non aluit.
Aſſentationem ne puta,
Quod iuraturi teſtis aſſertio eſt:
Amedei Noni Pietas
Ita fluxit in Decimum,
Vt non ſit qui meminerit.
Eum in cauſa pauperum
Irrita prece rogatum.

Digitized by Google

INSCRIPTIO VII.

Munita propugnaculis Vrbes, Quibus ſua iam ſatis, & Ciuium virtute defenſis, Nouam addidit ſecuritatem.

Propugnacula pleraq;
Suo Victor molitus in Regno
Nullum ſeipſo tutius adinuenit.
Oppugnari illa poſſunt, quod ille non potuit.
Ita fidens omnibus, ac ſi nullum metueret
Ita ſingula muniens, ac ſi diffideret vniuerſis,
Abſentiæ ſuæ damna dum præuidit prohibuit
Vercellas ijs cinxit aggeribus,
Quos tueri vel mortuus poſſet.
Nullibi minus neceſſaria munimenta,
Quàm vbi foret ipſe ſepultus;
Tanti reuerentia Principis,
Etiam ſine mænibus hoſtes excluderet.
Momilianum plura Victoris arti iàm debeat,
Quàm loci naturæ.
Nicenſium Acrocorinthus
Tot inuicta iam bellis
De illius timore ſecurior
Nouam arcem obijcit mari,
Alba ipſa iam de Victore,
Quam de Pompeio plus habet;
Trino, quæ oppugnatio ademerat
Propugnacula,
Cum fænore reddita.
Haſtenſibus noua arce,
Taurinenſibus nouà Vrbe conſultum.
Omittere tamen iſta potuerat,
Si ſe ſuis relinquerè potuiſſet.
Illo præſente

Nulla munimentorum neceſſitas ?
Aut date nunc igitur, Superi,
Pacem Sabaudiæ,
Aut eam munitam ſi vultis,
Reddite in Hyacintho Victorem;

INSCRIPTIO VIII.

Crauacorij expugnatio vbi paucis diebus plures aſſequutus Victorias, Ipſum etiam hoſtium Ducem, qui ſuppetias laturi venerant, interemit.

Bellatores fiunt apud alios,
In Sabaudia prope naſcuntur.
Ab armis Victor alienus,
Si ſine illis quod erat in nomine,
Reipſa eſſe potuiſſet.
Poſuit militiæ rudimenta Victorias.
Veteranum ſi de peritia æſtimes,
Nunquam Tyro,
Antequam bella diſceret, iam docebat
Ad Crauacorium
Ingenio experientiam ſuppſens,
Cùm nullas adhuc haberet à fama ſuppetias
Nudà virtute pugnauit.
Antè cum montibus, quàm cum hominibus;
Aſperitate locorum ęquè ac temporum victà
Solutis ardore niuibus,
Ferio mœnibus diſſolutis,
Menſem omnem more ſuo Martium faciens;
Ianuarium ipſum bello ſeruire coegit.
Tormenta tam facilè transferens,
Quam prudenter diſponens.
Mutatis ſæpe conflictuum initijs,

Nun-

Nunquam fine;
Orbatas ſyderibus noctes
Pluribus Victorijs illuſtrauit.
Vbicunque hoſtem inueniſſet
Æque fortiter ſuſtinens, ac laceſsens.
Non deterius monte,
Quam campo vſus, edocuit.
Ducum virtutem, non locorum fortunam
Bella decernere,
Gauiſus ad Seſsitem ſibi hoſtem oppoſitum,
Qui de luna claritatem,
Non in inconſtantiam ferret
Diſſicultate vincendi laudem addente victoriæ
Adhuc ſibi de ſui ſeruatis,
Quàm de illo deleto plus plauſit.

INSCRIPTIO IX.

Geſta ad Oram Occidentalem Liguriæ, Vbi non minor in vincendo felicitas, quam faci-litas inparcendo.

Ambitio nulla maior Victori,
Quam ſeruare quos vinceret.
Inuictam toties Victoribus Orbis Liguriam
Hoſtis ingreſſus,
Iratus fortunæ temporum,
Quæ vbi tot Oleæ Pacis indices naſcerentur,
Bellum inſereret,
Vnico Plebani Oppidi excidio,
Plurium occaſionem præcidit.
Nullibi maiores ſenſit anguſtias,
Quàm vbi veniam non caperet locus,
Semel ſeuerus,
Ne ſemper eſſe cogeretur,

Paucorum exitio cæteros monuit,
Vt eum hoſpitem malent habere,
Quàm hoſtem.
Magnanimis
Mitius non profuiſſet exemplum.
Ad Entemelium neſcias,
An bombardis alas dederit
An molem ademerit.
Eò illas impulit,
Quò ideo ſolùm
Credantur venire potuiſſe,
Quòd venerint.
Inerat authoritati eius plus ponderis,
Quam Metallo
Albigauno, & orà ferà vniuersà,
Quà beneficijs, quà armis edomità,
Vicit propè plura, quam viderit.
Defenſor ingreſſus ea oppida,
Quæ ſe oppugnatorem noluiſſent:
Si quid periret incolis,
Suæ gloriæ damnum putans,
Auidum prædæ militem
Frænare maluit, ditare cùm poſſet.
Palmarum in Patria Victor
Iniurius eſſe non potuit.
Arbori ſuæ venerationem hanc debuit,
Vt Vbi illa naſceretur nemo periret.
Ita ſi quando deeſſent quos vinceret,
Victor ſui,
Ex ora illa felici,
Ipſas etiam palmas retulit, quas reliquit.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO X.

Ad beſtannium receptus Vbi loco inquiſiſſimo ab hoſtium 25000. circumuentus, Tria ſuorum millia illæſa reduxit.

Militarunt in Victore tam multa,
Vt conflare ſolus exercitum credi potuerit.
Copias, cùm deeſſent; de ſe ipſo ſuffecit.
Ad Beſtannium circumuentus ab hoſte,
Cuius vt virtus terrorem,
Ita numerus deſperationem incuteret,
Amplitudine mentis
Diſsimulans anguſtias loci,
Perire potuit, timere non potuit:
Salutem malens virtuti debere, quàm fugæ,
Suo periculo mercatus ſecuritatem tormentis,
Ita receptui cecinit,
Vt videretur temeritatem declinare,
Non pugnam.
Et à fronte petitus, & à lateribus,
Totus effuſus in ſuos;
Se in eorum vnoquoque ſeruauit.
Admirationi hoſtibus,
Cum iam vix poſſet eſſe timori,
Ipſum non vinci
Summam fecit eſſe Victoriam
Gaudia ſua lacrymatus eſt Carolus.
Cum ſe ipſum recuperauit in Filio.
Mundi nomine gratulatus eſt ſibi
Talem Heredem:
Tum primum didicit
Qualis eſſet ipſe bellator,
Cum quos erudiret agnouit.

Digitized by Google

INSCRIPTIO XI.

Mons Caluus expugnatus, Vbi ne divideres cum militibus gloriam, Aequè Ducis, ac militis partes egit.

Victoris ferrum
Quo minus metere palmas poſſet,
Me Ferrato quidem à monte retuſum.
Eo decaluatus Mons Caluus eſt,
Cui frequentia Turrium comam fecerat.
Ars non deterius Viris munita, quàm muris,
Cùm plures clauderet Hectores
Bellum vltra Decennium traxerat,
Niſi eam multiplex in Victore
Oppugnaſſet Achilles.
Paucioribus ſtetit illa diebus,
Quàm annis ſperauerat.
Ne propugnacula quidem ipſa
Auſa coram Victore conſiſtere.
Eo terram obſidente in aerem auolarunt.
Timere ſibi Cælum à nouo Gigante potuerat,
Si manum, quæ Montem per inane torqueret
Minùs amicam aliquando ſenſiſſet.
De Nitrato poluere Cineres nati.
Concepit in viſceribus ſuis terra Victoriam,
Quam mox in lucem edidit,
Per dira tormina facta parens.
Defenſionis ardorem
Excitatus ignis extinxit,
Oppugnationis accendit,
Diſfiſum penitus cauſæ
Pro qua ne tellus quidem ipſa iam ſtaret.
Vſque adeo Victores,
Ipſa etiam elementa ſequuntur.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO XII.

Pons ad Ticinium, Quo paucis horis extructo, Tantumdem nocuit hoſtibus, Quantum profuit fœderatis.

Velocitas mentis in corpus vſque refuſa
Eam Victori laudem adiecit.
Vt pari celeritate cogitarit agenda,
Et egerit cogitata.
Vbicunque neceſſarius, ibi præſens,
Nec flumine, nec monte prohibitus
Ire iam non eſt creditus, ſed volare,
Infenſus ſemper Gallis Ticinus,
Ex quo ſectus ab ijs eſt,
Inuictiſſimum Cricheium incluſerat,
Niſi Victor tantumdem habuiſſet
In fide Conſtantiæ,
Quantum in agendo celeritatis,
Fluuio diuidente, quos fœdus iunxerat:
Cùm nec iam tutus ſaluti,
Nec opportunus receptui pateret locus,
Neceſſarium tranſuehendo militi Pontem,
Non tam fieri iuſsit ipſe, quam fecit.
Operoſæ authoritatis miraculo
Menſium labor paucis horis expletus
Accreuit Ticinio tumor
Ex tanti ſudoribus Principis;
Adhuc tamen in Artificis reuerentiam
Pepercit Operi.
Feralem in ſcenam probauit illicò Victor,
Auctorem ſe, non ſpectatorem veniſſe
Suum æquè opportunè diſponens militem,
Ac prouidè duxerat:
Fœderatorum Victoriæ

Et occaſio fuit, & cauſa.
Quando tamen adhuc
Gallo, & Hiſpano lis eſſet.
Vter è conflictu victus abſceſserit:
Stetiſſet ſemper certa Victori,
Nec diuidenda cum alio
De flumine ſuperato Victoria.

INSCRIPTIO XIII.

Nouiſſima Regni ſui Ab hoſtium inuaſione defenſi; Qua bellatores ſtrenuiſſimos pari virtute excepit, Maiori felicitate reiecit.

Felix Sabaudia, ſi pari ſtudio Victor
Se ipſum defendiſſet, ac ſua.
Bellorum incomoda propemodum ſolus ferens;
Omnem à ſuis timorem excluſerat,
Niſi quos aliunde ſecuros effecerat
Eſſe coegiſſet de ſe vno ſollicitos.
Quaſsatum Regnum
Nulla re magis, quàm eius motibus ſtetit.
Hoſti non profuit auxiſse diuidendo terrorem:
Admirationi cedere coacta ferocitas,
Deum aliquem oppugnare ſe credidit,
Quem inueniret vbique.
Arces tentare ſeu timuerer, ſeu neglexerit,
Potiora populorum munimenta
Sita vidit in Principe,
Qui ſecuritatem dare mallet arcibus,
Quàm debere.
Vallum, & aggeres
Quacunque Victor pergeret, ſecum tulit;
Laconum more ſuetus

Pro

Pro muro pectus opponere,
Suorum timoribus
Adhibuit munimenta, non ſuis.
Gauiſa Hiſpania eſt vel inſenſa
De ſe tales exijſse
Quos nec ipſa iam vinceret.
Gratulata Regibus ſuis eſt tales Affines,
Qui eorundem mereri ſcirent amores,
Quorum etiamnum odia tolerarent.

INSCRIPTIO XIV.

Suprema ad Bulmidam Victoria quà mortis ipſius contraxit inuidiam.

Principem, quem vincere bella non poterant
Opreſsère Victoriæ
Vna illi, & eadem
Cauſa immortalitatis, & mortis.
Simulatione quietis
Nouos motus alliciens, quos reprimeret,
Vel in ipſa venatione, ferarum, venator hoſtium,
Incluſis ad Bulmidiam antè perniciem intulit,
Quàm terrorem.
Inuicti toties, & tam ſæpe Victores.
Vnius aduentu nunciato
Seu cauſæ diffiderent, ſeu fortunæ.
Fugæ conſulere maluere, quam famæ.
Vacauit ignominia metus,
Qui caderet in conſtantes
Declinabantur non cuiuslibet arma,
Sed Principis,
Quem vel inermem armati
Tentauerant ſine fructu.
Pugnabat pro eo locus, & Dies,

Qui natæ Virgini ſacer
Tanto clienti Virginis
Non potuit non eſſe feſtiuus.
Quæcunque fuerant
Potiora pugnæ futura præſidia
Tanquam fugæ impedimenta, relicta Victori,
Saginauit inde ille præmiſſa ieiunia
Magnarum mencium alimento.
Spolia illa non tam ceſsiſſe hoſtem credidit,
Quàm dediſſe Mariam,
Emerito natalitia Xenia bellatori.
Omine tamen infauſto,
Tormentorum acceſſione beata Sabaudia eſt,
Aureum illa Principem
Quocunque metallo redimeret.
Mille cederet vno pro Victore Victorias.

AD DISCESSVRVM LECTOREM.

INSCRIPTIO I.

Perdidiſti doloris tui fructum, Viator;
Niſi recedas melior, quàm veniſti.
Peractum Principis funus eſt,
Tuum inſtat.
Nec tu Altitudine tutior,
Nec Victore fortior es.
Mortuus ille ſecuritate qua vixerat
Deum docuit timendum eſſe, non mortem.

INSCRIPTIO II.

Cohibeto fletum viator,
Adhuc ipſe poſt Principem lugendus es.
Anguſta ſpatia ſunt,
Quæ à mortuo moriturum diſtinguunt.
Obſcurius te manet funus.

Niſi

Niſi eidem de claritate Vitæ præluxeris.
Victor te doceat
Fati neceſſitatem vſu libertatis eludere.
In tuis potes operibus æternum viuere,
Qui in te ipſo non potes.

INSCRIPTIO III.

Et hoc demum eſt funus, Viator,
Cui Cælum ipſum
Extemporanea illa face præluxit.
Quæ apud ſuperos Vrbanitas eſt,
Summus Princeps
Noctu ad Deum properans.
Præuia face deductus.
Ignorare tamen viam non potuit,
Quam annos ſupra quinquaginta
Calcaſſet.
Minori pompà te fatum petit.
Apparatu nullo cùm veniat,
Caue ne ſuperueniat imparato.

Ilicet, exacta eſt Victoris fabula; Plauſus Par tibi vt obueniat, Proſpice, Viue, Vale.

EIVSDEM INVICTISSIMI PRINCIPIS *Epitaphium.*

Maio genitum florem
Iure ſuo Veris Cella cuſtodit.
Sta, Viator, & lege.
Inter Bonos, & Optimos ſecurus es,
Victor Amedeus, Dux Sabaudiæ,
Princeps Pedemontanus, Rex Cypri,
Caroli Patris Virtuti Fortunam adijciens,
Catha-

Catharinæ Matris Pietati bellicum robur.
E Magno Maximus, ex Auſtriaca pijſſimus;
Vitam omnem morum, armorumq; fulgoribus
Illuſtrauit.
Pueritiam præcoci ſenio anteuertens,
Varijs itineribus Europa luſtrata.
Ex Hiſpania Regiam educationem,
Ex Galliam Regiam retulit Coniugem.
Conciliati Ludouici Regis Mariæ Matri
Chriſtiana præmium fuit,
A qua mox prolem habuit pretioſam.
Franciſcum Hyacinthum, Carolum Emanuelem,
Aloyſiam Mariam,
Margaritam, Adelaidem, Beatricem.
In Ferreo ſæculo vacare paci prohibitus,
Pari laude bella ſedauit, ac geſſit.
Pacata Sabaudia, Nemoroſæ Duce repreſſo,
Crepacorium expugnatum,
Duce ſuppetiarum oppreſſo,
Mons Caluus paucis horis,
Liguria paucis diebus edomita:
Eius rudimenta militiæ ſunt.
Ad Verrucam vulnere,
Ad Beſtannium ſupremo diſcrimine
Non exterritus,
Æquæ ſe fortem excipiendis hoſtibus,
Ac ſagacem declinandis exhibuit.
Patri ſuffectus,
Eundem dum amitteretur reſtituens
Gliſcenti Peſtilentiæ Æſculapius
Sæuienti bello Mercurius ſuperuenit,
A ſanctiſſimo Vrbano,
A pijſsimo Ferdinando,
A Iuſtiſsimo Ludouico,
Ne propria quidem

Cre-

Digitized by Google

Creditus capax erroris in cauſa,
Prudentiæ ſuæ merito
Eiuſdem litis Actor, & Iudex.
Regno nouam Prouinciam,
Sibi nouam gloriam,
Claraſco nouam de Pacis natalibus
Claritatem adiecit.
Excitatis Deo templis, Pius,
Palatijs ſibi, Magnificus,
Quàm mitis in pauperes,
Tam ſeuerus in Hæreſes;
Dei amorem obſequijs
Hominum admirationem,
Beneficijs occupauit,
Natum illum in Virgine ſi aliunde non noſſes
Diuinaſſes ex moribus.
Laborum patiens, ſupra fortunam,
Inediæ, & Vigiliæ, ſupra naturam,
Mirus excubitor ſui
Grauitate morum vel ipſa leuitate mortuum
Commendauit.
Haſtam nouâ arce, Taurinum nouâ Vrbe,
Vercellas, Albam, Trinum, Momilianum, Nicęam
Nouis propugnaculis.
Senatum nouis legibus muniens;
Suos facere ſtuduit, etiam ſe ſublato ſecuros.
Coactus bella gerere, quæ ſedare maluiſſet,
Ad Ticinum hoſtium conſilia,
Paucis horis extructo Ponte, deſtruxit:
Ad Tanarum irruptiones
Viribus impar, par Virtute ſuſtinuit.
Ad Bulmidam ſecuritatem
Armis etiam ademptis puniuit.
Peſſimo tamen omine
Prope flumina ſemper felix.

Cum

Cum ijſdem eſt luxit.
Vndequaque fortunatiſsimus,
Si qui alia omnia vicerat,
Victor temporis, Victor inuidiæ,
Victor ſui,
Mortem etiam vincere potuiſſet.

AMEDEI
DVCIS SABAVDIÆ PRIMI,
In ſua obedientia
FELICIS PAPÆ QVINTI
Epitaphium.

Amedeus
Sabaudiæ Comitum vltimus,
Ducum Primus,
Quieti ſuæ noxijs
Adhuc iratus honoribus,
Eos rudi hoc conditus ſaxo declinat.
Tot Reginarum Pater,
Tot Regum nepos,
Aucta opibus, ornata legibus,
Purgata ſceleribus ditione
Sæculorum omnium venerationem
Promeritus,
Dum innocenti violentia
Molitur inuadere Dei Regnum,
Suum non tàm Ludouico Filio,
Quàm Chriſto cedens,
Eremum aulæ prætulit,
Cilicium Purpuræ,

Adhuc

Digitized by Google

Adhuc tamen clarior rutilans,
Quàm vt à denſo Ripaliæ memore
Tegi poſſet,
Sex Mauritianis ſtipatus equitibus,
Totidem inter Planetas ſol creditus,
Sperauit ab eo Diem
In erroris ſui nocte Baſileenſe Concilium
Coactum ad Inſulas
Quarto interdictas Eugenio
Iuſſit tranquillitati Publicæ
Suam poſthabere,
FELICEM dicens,
Cum iam talem eſſe non ſineret.
Salomon tamen ſui ſęculi,
A deceptis ſe mox deceptum agnoſcens,
Vt quam toties authoritate ſua
Peperat Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ,
Germaniæ, Angliæque diſſidijs pacem
Eamdem exauthoratus
Vniuerſæ daret Eccleſiæ,
Volens abiecit,
Quod coactus admiſerat,
Pſeudopontificum
Vltimus, idemque Primus
Quem extulerit obediendi neceſsitas,
Non libido regnandi,
Remedium ſchiſmatis, non origo.
Comprobauit eius acta omnia
Honorificentiſsimis decretis Nicolaus V.
Certiſsimis miraculis Deus,
Et tu igitur, Viator, abſolue,
Alieno reum errore, non ſuo;
Hanc Sabaudiæ Ducibus
Integram laudem relinquens,
Quod & Eccleſiæ bellis.

Nun-

Nunquam deſuerint,
Et eiuſdem profuerint ſemper Paci.

FRANCISCI GILLII
Lucenſis Patritij.
Epitaphium.

Heù quantula Vrna capere potuit,
Sebaſtiani Gillij,
Et Agnetis Bernardiniæ
Totam Domum?
Tota in Filio Franciſco iam erat,
Qui anno ætatis trigeſimo
Sexagenariam prudentiam exhibens,
Nullius iniuria
Omnium lucratus amores,
Quo die ingredi Trabeatus Palatium
Debuit,
Suo Purpuratus in ſanguine
Ingreſſus eſt Cælum.
Suppleuit triplicem Parcam inuidiæ
Quæ ſuum ipſamet ſcelus horreſcens
Illud ne cerneret cæca texit in nocte
Quæ viuentem Virtutes ornauerant,
Ità ſunt omnes in moriente ſpectatæ,
Vt etiam tunc
Inuidendus maxime fuerit,
Cum magis miſerandus videri poſſet.
Luxit Luca in vnius damno
Omnium legum iniuriam;
Ignatius vero Decanus
Solus è ſex fratribus iam ſuperſtes,
Vna cum natu minimo ſibi cariſsimo
Spes, & gaudia ſua omnia
Hoc ſaxo ſepelijt
Anno Domini. M. DC. XLV.

IN.

Digitized by Google

INOCCIDVÆ LVCIS DIANÆ.

Epitaphium.

Dei venatrix Diana
Saracena Christianiſsima
Stationem quam tenuerat viuens
Ne dewſereret moriens,
Hunc ipſum ſibi orationis locum
Eſſe voluit & ſepulcri.
Hieronymo Ballato
Coniugi Amantiſsimo diù ſuperſtes,
Illum tamdem ſequuta eſt,
Anno ætatis LXXX. Chriſti M. DC. XLVI.

FRANCISCI CENNINI

S. R. E. Cardinalis Eminentiſsimi.

Epitaphium.

Maximæ mentis minima portio eſt,
Quę adhuc ſano huic Theſaurum
Supplet.
Franciſcus Cenninus
E Patritijs Salamandris
Solo capax Dei igne torreri,
Sub Mariæ patronicio ſenis genitus,
In Mariæ Domo Romæ mortuus
Conquieſcit.
Adoleſcentis ingenium,
Vt omnis lucrauit ſcientia,
Ita Adulti meritum
Dignitas omnis ambiuit.
Paulo Quinto facta Religio eſt
Tantam virtutem ſine præmio
Præterire.
Horruit moriturus ſe Deo ſiſtere,
Niſi eum prius

San-

Sancti Marcelli Cardinalem dixiſſet,
Quem diù omnibus probitatis,
Prudentiæque experimentis exercitum
Ameliæ Epiſcopum dederat,
Et Nepoti Burgheſio Auditorem,
Et gratiſsimum Philippo Regi Legatum
Pauli beneficia Epiſcopatu Fauentino,
Et Ferrarienſi Legatione
Cumulauit Vrbanus,
Eidemque ſuffectus Innocentius
Iam Portuenſem Epiſcopum
In ſuprema Sacri Concilij Interpretem
Præfectura,
Suffecit ſibi.
Tanti Viri authoritatem
Reuerita ipſa prope mors eſt.
Diſtulit vltra annum. LXXVIII.
Fatalem ictum,
Et cælo Maturam animam
In Autumno corripiens,
Diem Octobris 2. Anni M. DC. XLV.
Tanto funere temerauit.
Iuſtiſsimos in optimi Fratris iactura
Dolores ſuos
Diſsimulare tam nolens, quam neſciens,
Caſtri Leoncelli Marchio
Robertus Cemminus.
Eos vna cum Franciſco Filio
Vtriuſque ſignaturæ Referendario,
Hoc in lapide perennauit.
Diſce vitator a mortuo moriturus,
Viator;
Sibi perierit ille, non tibi;
Si adhuc illo Præceptore proficias.

Ex-

Digitized by Google

Excellentiſsimi Marchionis

GVIDI VILLÆ.

Epitaphium.

Hoc alliſa tamdem ad ſaxum eſt
Marchionis Guidi Villæ Fortuna,
Quæ vt maxima fuerit,
Adhuc Virtuti debeat primas dare.
Bellaciſsimo Franciſco Patri
Par filius,
Sabaudiæ Principes in Hiſpaniam,
Duces in omnem expeditionem
Sequutus,
Centies hoſtium ſanguine,
Septies ſuo
Ingentium irrigator Palmarum;
Tam multis à Carolo Eman. Primo
Auctus honoribus eſt,
Vt à ſecundo
Solis potuerit ſupremis ornari.
Victori Amedeo, & Chriſtianæ Viduæ
Æque earum, ac vtilem bellatorem
Armis ſuis ſumma cum poteſtate
Præficere
Præter Vrbanum Pontificem
Geminus Rex Ludouicus ambiuit;
Suffecit vnius meritum
Excipiendis tot Principum beneficijs,
Diù equeſtrium Copiarum,
Mox & Magnorum Exercituum Ductor
Quæcunque per annos quinquaginta
Intulit Sabaudia bella, vel pertulit
Summis Prudentiæ Fortitudinis,& Temperantiæ

Ex-

Experimentis impleuit,
Obſtructæ Gallis Alpes,
Ereptæ Hiſpanis Arces,
Superata Flumina,
Defenſa, & acquiſita tormenta,
Ad Bulmidam, ad Seſiam,
Ad Scriuiam, ad Ticinum,
Ad Padum, ad Tanarum,
Perenne illi in hiſtorijs
Trophæum ſtent.
Nuſquam vileſcere neſcium
VILLÆ nomen;
Aulicam Vrbanitatem
In ipſa bellica ſeueritate retinuit,
Ingens ipſumet hoſtibus
Et timoris illicium, & amoris.
Recuperauit obſeſſa Cremona Ferrariæ
Achyllem ſuum,
Dum aliter ſtare, quam illo cadente
Non ſperans,
Magnam animam maximo tela deijciens,
Auolare in Cælum coegit,
Quando vtroque minuta iam crure
Terram vltra calcare non poterat.
Vberes eliquauit in pluuias
Huius nubilum infortunij
Pariſijs, Taurini, Mutinæ
Multiplicem ſerenitatem
Ghironis tamen Camerani Comitis
Iuſtior fletus,
Quem tot laſſata triumphis Fortuna
Ibi coegerit Parenti parare tumulum
Vbi Trophæum ſtatuere maluiſſet.
Anno Domini, M, DC, XLVIII,

IOSEPHI RONDANINI

Patritij Romani.

Epitaphium.

Agnoſce, Viator, Romanam Animam
Cui licuerit procul à Capitolio
Triumphare,
Ioſeph Rondaninus,
Hauſto à Patre Alexandri ſpiritu,
Cuius magis quam Alexandri
Viueret Fato?
Aluit in illo belli amor
Impatientiam Pacis,
Vitijs omnibus in Adoleſcentia debellatis
Ne inglorius ſine hoſte iam viueret,
Ingentem Virtutum exercitum
Secum duxit in Turcas.
A Pietate authoratum ne dubita
Militem,
Qui in tanta bellorum redundantia
Non alios, quàm Pietatis hoſtes
Sibi delegerit impugnandos.
Veneto Leoni ſeſe non irundinem,
Sed Aquilam iungens,
Cuius iam belluæ impetus formidaret?
In Siccenſi obſidione,
Æquè ac in Cliſæ expugnatione
Poſtquam poſuerat Militiæ rudimenta
Victorias,
Ad maiora Cretæ accitus diſcrimina
In Iouis Patria Martem egit.
Ità auidus immortalitatis,
Vt non videretur amplius memor Mortis,

Treij-

Treijciæ Lunæ cornibus
Arietata propugnacula defenſurus,
Nuda Virtute
In rebellem pugnans Fortunam
Quam fecit barbaris
Neceſsitatem ſtandi,
Eamdem ſibi impoſuit occumbendi.
Suo, & hoſtium ſanguine
Tam egregiæ purpuratum
Horrere neſciens, amare non ceſſans
Eminentiſsimus Frater
Paulus Æmilius S. R. E. Cardinalis,
Hoc ſibi lenimentum doloris,
Triumphali vero Animæ
Trophæum magis ſtatuit, quàm ſepulcrum;
Anno Domini M. DC. LII.

EPITAPHIVM

Poſitum Camberij in Sabaudia.

Sylueſter Montoliuetus
Pro Sereniſsimis Victore Amedeo,
Et gemino Carolo Emanuele
Sabaudi olim ſupremus Cenſor Ærarij.
Et diu Rationalium in Curia
Protopræſes,
Emeritæ, Fidei, Spei, & Charitatis ſuæ
Æternam mercedem
Hoc ſub lapide præſtolatur.
Gratulare tibi, Viator,
Quod Montem Oliuetum
Tam procul à Gethſemani
In Allobrogum Alpibus inueniſti.
Syluestrem ſi legis,
Ironiam puta.
Deum illexit, & Homines

Syl-

Syluestri huius amœnitas.
Et vt in Monte Eminentia mentis
Emicuit,
Ità in Oliueto
Omnis miſeratio redundauit.
Ampliſsimas viri Virtutes,
Narratio anguſta non capit.
Recuperarit in Cælo.
Quas Taurini, & Camberij erexit
Ornatiſsimas Cælitibus Domos;
Nec aliam, quam Felicitatem
Duxerit Sponſam,
Qui miſeris Virginibus
Vnde Sponſos emerent
Annuas Dotes
Perenni liberalitate legauit.

IN FVNERE

IACOBI GVASCHI

Pauperum Patris Genuæ.

Pauperum Curatores, Pauperum Patri
In Pompa tenui
Affectu diuite parentantes,
Amiſſam pretioſiſsimam animam
Tot accenſis facibus adhuc quærunt,
Addite, Ciues, luminibus lumina,
Et Iacobo Guaſco
Aut recuperando, aut lugendo
Seruite.

INSCRIPTIO II.

Sæuite latrocinia,
Inſanite bella, fremite Maria;
Prædam vobis inuidit
Iacobus Guaſcus,
Dum telluris ſpolia
In Cæli Gazophilacia tranſtulit;
Et quidquid eriperé fortuna potuerat,
Lucrum fecit eſſe Virtutis.
Artem omnium quæſtuoſiſſimam
Apud quos melius,
Quàm apud Genuenſes ediſceret?
Vni Deo ſua omnia fœnerans
Nullius paupertate ditatus,
Ad annum vſque
Sextum, & ſeptuageſimum Cœlebs,
Hærede multiplici
Suam ſolatus eſt orbitatem.
Dum quales nunquam gignere potuiſſet
Filios eligens,
Chriſtum ipſum in Pauperibus adoptauit.

INSCRIPTIO III.

Æmulamini, Diuites, veneramini Pauperes;
Chriſti Quæſtorem emeritum,
Iacobum Guaſcum,
Qui auſus beneficijs cum cælo certare:
Auxit accepta, dum reddidit,
Et fidelis in minimo
Eſt ſuper maxima conſtitutus.
Prouidus ex Euangelio Trapezita,
Eripiens tempori
Quidquid vtile crederet Æternitati;

Fer-

Digitized by Google

Ferrei nequitiam ſeculi
Medicatus eſt auro ſuo.
Felix qui Deum ipſum
Habuerit debitorem,
Et pignus pro paupere, & Hypothecam.

IANOTTI REBVFFI

Genuenſis Patritij.

Epitaphium.

Mortalitatem, quam die XXI. Decembris
Induerat Genuæ
Prima Iunij exuit Mediolani
Nobilis Anima Iannoti Rebuffi
Cuius matura merita
Dum cæca mors palpat;
In ingens Terræ damnum, & Cæli lucrum
Decepta
Senem credidit
Ad ſex nondum luſtra prouectum.
Tantæ Iacturæ Annum
Milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum
Marco Aurelio Rebuffo Senatori,
Iubilæum, Viator, ne dixeris;
Fuerit Mundo, & Filio Remiſſionis,
Patri Amantiſſimo
Semper Doloris Annus extiterit.

Excellentiſſimi Herois
IOANNIS TOERASII
Galliæ Mareſcalchi
Epitaphium.

Lugete, Poſteri, Mortuum,
Quem vix credatis extitiſſe mortalem,
Thoerasius hic eſt,
Ex aſſertore euerſor hæreſeos.
Sine quo, nec componi potuere bella,
Nec geri.
Ad Rupellam Rupella fortior.
Ræam Inſulam ita occupauit,
Ac ſi nullus obſiſteret,
Ita defendit, ac ſi nullus impeteret.
Cum ipſi propè omnia defeciſſent,
Nulli ipſe deficiens,
Mutantibus Anglis
Locum Certaminis, non fortunam,
Suas impreſsit in omni elemento victorias.
Dignitate auctus à Rege,
Præconijs à Pontifice,
Ab ijs ipſis, quibus perniciem intuliſſet
Laudes extorſit.
Galliæ vtilis, Italiæ neceſſarius,
Par oppugnatoribus Propugnator
Caſali datus,
Vna in arce multas defendit,
Conſtitutus Arbiter pacis,
Qui fuerat antè bellorum,
Docuit non minori ſe peritia,
Homines tractaſſe, quàm Arma.
Auro non deterius, quam ferro vſus,
Illud miſeris, hoc proteruis impendens,
Neſcias an plures ſeruarit Beneficus,
An mactarit Iratus.

Sed

Sed noua ſibi ab inuidis
Excitans bella dum vinceret,
Nuſquam ſciens tutiorem Innocentiam,
Quàm Victoris in Regno,
Illuc accurrit, vbi virtuti ſuæ
Et teſtes habere poterat, & Patronos.
Romam profectus,
Vt in eo vno
Suos Duces omnes Roma reuiſeret,
Quod ita timeretur ab exteris
Amatus ab Italis,
Regiæ, & Gratiæ redditus, & Militiæ,
Magis memor muneris quam periculi,
Auream Animam
Plumbea admiſſa glande corrupit.
Vir verè Magnus,
In quo ſola puniri Magnanimitas potuit,
Illi condonanda fiducia,
Quam non temeritas,
Sed Victoriarum vſus effecerat.
Ne metuite Toeraſij fata, Mortales,
Si Virtutes habetis
Præclara Vita
Omnem honeſtare obitum poteſt.

INDICTIO FVNERIS
Eiuſdem Herois.

Reuiſite Toeraſium Ciues,
Pugnæ perijt ille, non Gloriæ.
Eius nihil miſerandum in Morte,
Cuius in Vita inuidenda ſunt omnia,
Flente tamen Principe,
Sine lacrymis Priuatos eſſe non decet.
Quas gratuitas dedit ipſa Serenitas,
Vos debetis.

Digitized by Google

MARGARITÆ CARRETTÆ

Maſſerani principis Coniugi Epitaphium.

Attende, Viator,
Quo Margaritas Oſtreo mors includat.
Quærit & ipſa pretioſas;
Auara enim eſt.
Vna inuenta tripudians,
Emere quam non poterat, rapuit;
Furti conſcius lapis hic,
Qui Philiberti Carretti,
Et Violantis Prouanæ filiam
Hieronymam Margaritam
Ereptam tempori, Æternitati cuſtodit.
Maſculæ mentis Heroina,
Quia Naturam dum naſceretur exhauſerat,
Fratrem habere non potuit.
Qua nobilitate genita, eadem & viuens;
Qua pietate educata, eadem & moriens,
Innocentiam tenacius retinuit
Multò, quàm Animam.
Tam cara Coniugi,
Quàm fuiſſet antè Parentibus:
Sui cuſtos non deterior, quàm familiæ,
Deum, ne improuiſus adeſſet,
Horis ſingulis expectauit.
Seuerè in ſe puniens,
Quæ alijs condonaret,
Vitia, quà ieiunijs, quà flagellis,
Non tam quia propinquauerant pepulit,
Quàm ne propinquarent deterruit.
Humanis implicata,
Diuina non deſerens,

Re-

Digitized by Google

Religioſior in Palatio,
Quàm alter in Aſceterio
Grauiſſimis moribus teneram oppreſsit ætatem.
Tam Magnas Animas pariens,
Vt ſecundo exhauſta ſit fœtu;
Quia non vt cœteri vixerat,
Aliter ac cæteri moriens,
Riſit Annum ſe à Morte creditam,
Cum annos ſeptemdecim non excederet.
Condona, viator,
Errorem hunc cæco Numini.
Tu ipſe dies ita plenos
Plura luſtra credideris.

INSCRIPTIONES ALIÆ

In eiuſdem Margaritæ funere.

Vectigales huc oculos, Ciues,
Hodie primùm Princeps Veſter
Suorum ſitire lacrymas cœpit.
Margaritam amiſſam qui quærit
Accerſit lumina quotquot poteſt.
Veſtra huc etiam admouete;
Primos Superſtitis Amores habebitis
Qui ſupremos Mortuæ
Soluetis honores.

INSCRIPTIO II.

Frugalem malè fingimus Mortem,
Plebeio contenta cibo non eſt:
Cleopatræ ferculis aſſueuit;
Margaritas, vt ſorbeat,
In Puluerem atterit.

Veh Mundo ab ingluuie tanti Monſtri.
Pretioſæ dapes acuunt nouam famem.
Illi lacrymas propinate, qui ſapitis;
Veſtris inhiare gaudijs deſinet,
Abundè doloribus ſaginata.

INSCRIPTIO III.

Inſenſa floribus hyems eſt,
Februarius Margaritas non tolerat.
Tam mites animas non alij;
Quam omnium immitiſsimi carperent dies.
Date hanc Cœlo veniam:
Vt de veſtrorum ſpolijs
Nobiliet hortos ſuos.
Æternitati nata germina
Non alibi eſſe par eſt,
Quàm vbi extrà contagium hyemis
Ver perennat.

INSCRIPTIO IV.

Margarita ſereno genita Cælo
Pluuio deficit.
Vitream ne putes,
Quæ vel in tumulum lapſa frangi non potuit.
Integritatis in illa laus par nitori.
Pretium, ſi aliunde non noſti
Ex hoc vno conijcies:
Quod qui non niſi bonas emeret Margaritas,
Hanc vt redimeret,
Se ipſum paſſus eſt vendi.
Amiſſam poſthac illam ne lugeas;
Habes vbi illam inuenias,
In Dei manibus eſt.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO V.

Iniurius es Margaritæ
Qui eam, ac ſi non diu vixerit, luges.
Maturis moribus.
Nullum ſuperuenit præcox fatum:
Quæ iam Deum inuenerat,
Quid vltra quæreret inter homines?
Cœli moribus aſſueta
Terras faſtidiens
Sat ampla vitæ credidit ſpatia,
Quibus tot capi merita potuiſſent.
Inuidum hic, non miſericordem te volo,
Et tu ſat diu vixeris ſi ſat benè.

INSCRIPTIO VI.

Caue, Viator,
Ne ita alienam lugeas Mortem,
Vt non memineris tuam.
Hunc à tot luminibus fructum feras,
Quod ad ea cœperis videre, quid ſis;
Hoc à te ſperat Epitaphium Margarita,
Vt Virtutibus eius tuas adijcias.
Sequi ne renuas, quam amaſti;
Mortem contemne,
Quaſi æternum victurus,
Vitam compone
Quaſi propediem moriturus.

IAFREDI BENTII A SANTENA
Epitaphium.

Tegit hic Lapis, Viator,
Quem non vna tibi Hiſtoria reteget,

Iaſredum Bentium à Santena;
Cuius venerabere Cineres,
Si mores agnoueris.
Maiore ſortitus, quos tales decerent Poſteri,
Fulgorem Natalium
Claritate facinorum geminauit.
Nullius vitam rectius
Militiam definieris;
Aureo homini fuit ætas omnis ex ferro.
Arma tractauit, vel cum ferre vix poſſet.
Nullum non laborem perpeſſus,
Seu cum in Belgio diſceret militem,
Seu cum in Italia gereret ducem,
Pari laude inflixit hoſtibus vulnera,
Ac in ſe pertulit.
Principibus ſuis
Non ſemel occaſio Victoriæ,
Sæpè cauſa ſecuritatis,
Non vnam illis Arcem adeptus,
Alias plures, aut Propugnator,
Aut Gubernator ſeruauit.
Momiliani obſeſſus à Rege,
Pro quo præter Virtutem,
Tempus, & Fortuna pugnarent;
Omni tentatus, ariete, nullo fractus,
Sui admiratorem dimiſit,
Quem hoſtem exceperat.
Nihil in ſummo viro mediocre,
Ne corpus quidem
Sub Franciſco Hyacintho florido Principe,
Acceptos ad eam diem honores
Torque coronans aureo,
Quam egregiè exercuerat
Sub CAROLO EMANVELE primò
Militiam,

Ad

Ad Secundum vſque protraxit.
Ne ſeptuagenarius quidem
Miſſionem poſtulans,
Tam vtilis Conſilio,
Quàm fuiſſet vnquam antea manu;
Declinaturus Bella,
Quorum hilaris non poſſet eſſe Victoria,
CHRISTIANÆ Regentis dolores
Maturo licet funere auxit.
Heros omni dignus Elogio,
Cui ferri vſus
Nunquam aut lenitatem in homines,
Aut in Deum pietatem excuſſit.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

Ludouici Cardinalis de Valletta.

Epitaphium.

Inſere Gallia
Ferales triumphali Laureo Cupreſſus;
Et ad Eridani ripas
Magnis iterum fatales nominibus
Heliadum honeſtiſſima
Iam non Phætontem, ſed Phœbum geme.
Phœbum inquam primam tui ſuperbiam Pindi,
In quo & ornamentum,
Et argumentum ingens Muſis interijt.
Epemonij Ducis filius Ludouicus,
Sibi, non aſſentatoribus debet,
Quod in Solis nomine rutilat vel ſepultus,
Tam multiplicem claritatem
Minori vocabulo nullus expreſſerit.
Ingreſſus Zodiacum,
Quem ſuis ipſe ſibi diſtingueret ſignis.

Iter arduum ea æquitate peregit,
Ac qui nunquam Libram deſereret;
Ea magnitudine animi,
Ac qui ſemper perſiſteret in Leone.
Eum in Tauro qui vidit,
Non item vidit in Scorpio;
Cùm nullius capax veneni,
Laborem à ſe nullum excluſerit.
Ampliſsimæ mentis Adoleſcens
Humanarum cognitione Artium
Non impletus
Toto Deo paſcere agreſſus eſt famem ſuam.
Bibit de Theologiæ fontibus
Meraciſsimas Potiones,
Quibus corroboratus
Vel ipſi potuit regendo Mundo par eſſe:
Inſigniuit Paulus V.
Vaticano Galero Mercurium,
Quem futurum quandoque fidiſsimum
Regiæ in fratrem mentis interpretem
Diuinaret.
Vrbanus verò Areopago Chriſtiano
Benè conſultum putauit.
Si in diſcutiendis
Implicatiſsimis quibuſque quæſtionibus
Eum illi præficeret,
Cuius eruditio
Authoritatem Oraculi mereretur.
Vallis huius profundum,
Multiplici Roma ſcruta à Bolide eſt.
Hoſpitis illa tanti
Coluit genus, amauit Genium,
Ingenium (audeo dicere) adorauit.
Repetens tamen Gallia
Ingens rerum ſuarum præſidium,

Sum-

Summis & ipſa auctum honoribus
In vſum omnem publicæ felicitatis
Adhibuit.
Ampliſsimis Præfectus Prouincijs,
Illarum ſecuritatem ſuis emit periculis.
Nec auri tenax, nec odij,
Semper æquè paratus donare beneficia,
Ac maleficia condonare,
Dum ſingulorum declinat iniurias
Omnium Amores incurrit.
Vbique fortis, non item vbique felix
Hoc ipſe nobilitatus eſt capite,
Quod in ipſius rectè factis
Debentur Virtuti omnia,
Fortunæ nihil.
Libertate omni digniſsimus Princeps
Tempori ſeruire coactus,
Vel in odioſa occaſione Virtutis
Mores ſuos fecit amari,
Nulla magis
Quàm meritorum ſuorum mole laborans
Miratus ſibi præcipitando,
Sufficere Fatis Ripulam poſſe,
Multiplicem Eminentiam ſuam,
Ad Pedes Montium ſubdidit Morti;
Ne crederetur magis ſtabilis,
Fortuna locorum, quàm hominum,
Herois vnius Natalibus celebre oppidum,
Alterius fit infame funeribus,
Luxit Italia
Ibi mori cum Ludouico ſpem pacis,
Vbi olim cum Carolo natam meminerat.
Admirata Pietatem,
Quæ ſupremi quoque periculi
Excitare inuidiam,

Vir-

Virtutes, quas viuentis Modeſtia texerat
Ex affectibus Morientis elicuit.
Coiuiſſe credas Subalpina in bella
Germaniam, Hiſpaniam, Italiam, Galliam.
Vt Gentium omnium
Et linguis laudaretur, & lacrymis,
Qui ita vixerat apud omnes,
Vt ſine omnium damno mori non poſſet.
Diſſidentes exercitus
Vnus, & idem dolor coniunxit;
Nec fuit qui ſe hoſtem putaret,
Cùm amitterent ſinguli quem amabant,
Vir planè magnus,
De quo grauior querela non ſit,
Quàm quod ad decora niſi multa
Sit natus.

MERCVRINI ALPHONSE
Marchionis Gattinaria.
Epitaphium.

Infelices Populi
Quibus intra annum duplicantur excidia.
Hic iterum ſepulta
In Marchione ſuo Mercurino Alphonſo
Gatinaria eſt.
Date lacrymas Mortuo,
Qui viuo debuiſtis obſequia.
Calcate ſecuri iacentem,
Volenti non irrogatur iniuria.
Huc ſe ille, vt calcaretur abiecit.
Ætate adhuc acerba maturus Cœlo,
Rectè ſentientibus
Non minorem mortis ſuæ,
Quàm Originis fecit inuidiam.

ILLVSTRISSIMÆ ANNÆ BENTIÆ

Lumelli Comiti

Epitaphium.

Auara Mors eſt;
Aureæ vobis mentes cauete,
ANNA BENTIA
Ideo diu non retinuit animam,
Quia habuit pretioſam.
Amedeo Patri ſolo diſſimilis ſexu.
Nec Genio, nec Ingenio degener,
Quod ille inter viros,
Illa fuit inter mulieres.
Amedeo Cribello ideo data Vxor,
Quia virtutis ſimilitudine debita,
In Lumelli Comitis domo
Lumina, quæ inuenerat, geminauit.
Felicior tamen Nupta, quàm Parens,
Tot illuſtranda filijs,
Quot Cælum Planetis,
Dum ſeptimo lucem daret,
Supremum illuxit.
Virtutis eius plura argumenta ne quære;
Vitam vt daret alteri,
Rapuit ſibi.
Cœlo matura concidit in Autumno,
Et october qui eam dederat thalamo,
Dedit & Tumulo;
Ita ludente cum hominibus Deo,
Vt illi eadem ſint vehicula funerum,
Quæ fuerant Nuptiarum.

NOVOCOMENSIVM CIVIVM

Quos fœda lues Anni 1629. peremit.

Tumulus.

Heu quot vnus hic tumulus domos capit!
Miracula Mortis hæc ſunt,
Ampla quæque
Odioſam in Epitomen minuentis.
De ingenti Nouocomenſium colonia,
Quàm fœda lues abduxit è Mundo,
Hæc ſolum vnire licuit Analecta.
Vbi tam multi ſuffragia poſtulant
Auarum, Viator, te nolo.
Iuſtus non es, ſi negas omnibus,
Quod vel ſingulis debuiſti.

Sereniſſimo Genuenſium Duci

IOANNIS AVGVSTINO MARINO

Parentalia.

Heu! quale mortis eſt gelu,
Quo tam generoſis etiam acta motibus Maria
Vel in ſolſtitij ardoribus glaciantur!
Geographiam confudit ordo fatorum:
Mare mortuum iam non Scythiæ ſolius,
Sed & felicis Liguriæ malum eſt.
Piſcatorem hic ego tamen adhuc,
Viator, te volo.
Ganges, & Erythra non dabunt,
Quod IO. AVGVSTINI MARINI
Dare tibi plenior
Cognitio poteſt.
Superſtes æternitati,
Soli Mortuus tempori,
Nullum miſerationi,

Omnem

Digitized by Google

Omnem inuidiæ locum fecit.
Pueritiæ periculis,
Æquè ac Adoleſcentiæ ſtudijs
Initiatus ad ſumma,
Fratrum poſtremus
Eorum Virtutes
Quidam quaſi collegit Epilogus.
Diuitias bene collocare melior, quam augere,
Lucra ſua omnia,
Amicorum, & meritorum acceſſionibus
Æſtimauit.
Ætatem non annorum numero,
Sed dignitatum incremento diſtinguens,
Ad Vrbanum Octauum Orator pro Patria
Et in Patria ſemel Senator, ſæpius Prætor,
Omnem honorum ſemitam
Laudatiſsimis calcauit exemplis.
Miles emeritus
Ne in effœto quidem ſenio
Miſsionem rogans
Poſtulatus in Ducem ita conſenſit,
Vt planum faceret,
Voluiſſe ſe Patriæ plus prodeſſe, quam poſſet,
Et legũ incolumitatem ſibi magis cordi fuiſſe,
Quàm ſuam.
Auguſtinum ſolio dedit Auguſtus,
Marinum Maria,
Tali Regno naſcenti horoſcopari minor ſtella
Non potuit
Decuit in vnum diem
Geminam hilaritatem coire,
Dum & Maria in Cęlum aſcenderet,
Et Marinus in Thronum.
Tumoris flatibus agitari neſcium mare,
Tot auctum gloriæ alueis non ideo redundauit,
Atque

Digitized by Google

Atquè ita mare Vitreum
Cryſtallo ſimile potuit credi,
Dum & Dei mores ſpeculi ad inſtar expreſſit;
Vt ſepulcri mox alliſum in ſaxo eſt comminutus
In pulvere !!
Se Patrem reputans Princeps,
Qui non niſi liberis imperaret,
Ita ſingulorum ſtuduit commodis,
Ac qui non eſſet genitus ſuis.
Diuinitate quadam officioſiſsimæ humanitatis,
Sibi ſemper præſens, nec vlli vnquam deficiens,
Nequitiam Vigilantia terruit,
Innocentiam patrocinio roborauit.
Vigore animi
Ægro corpori laborum tolerantiam ſupplens,
Cum iniuria Valetudinis,
Nec ſine ſumma exaggeratione Virtutis,
Caput in Principe non pedes
Imperare probauit.
Liguriæ Regnum ſtabile facturus in mari,
Qui ſciret Imperia non alijs augeri artibus,
Quàm quibus initio parta ſunt,
Eo ardore nouæ claſſis deſiderium
Accendit in ſuis,
Vt vbi ſacras Libertati triremes
E Sicilia reduces audijt,
Non niſi pares feliciſſimis tanti operijs initijs
Vaticinatus progreſſus,
Quaſi ſibi nihil vltra eſſet optandum,
Vale dixerit mundo,
Præſenſit damnum ſuum Tellus.
Et præmiſsis veſanis motibus
Queri de Cælo voluit,
Quod ſibi tantum hominem inuideret.
Cœlum ipſum

Ex-

Extinctæ ſerenitati nubilum parentauit
Texitque in Veſte doloris gaudia,
Alioquin exinde concepta,
Quod idem dies eſſet, & Chriſti corpori,
Et Auguſtini animæ triumphalis.
Infelix, Liguria, niſi ſuperſtitum Virtus
Tantam tibi compenſare iacturam poſſet.
Vt vt tamen tibi reſtituas Principem,
Eum ſemper amiſeris Ciuem,
Quem vel priuatum
Non ſine luctu publico tumulaſſes.

COMITIS NICOLAI SANMARTINI
Epitaphium.

Comes Nicolaus Sanmartinus
Vt velint feliciſsimi natus Franciſco Patre,
Vt debent ſtrenuiſsimi, Mortuus
Victore Principe,
Ad pacem è bello diſcedens
Arma ſua moriens Chriſto legauit,
Cuius Hæres Comes Flaminius
Fratris pietati ſuffragatus de ſua
Hoc ſancti Benedicti ſacellum erexit.

Excellentiſsimi Principis
IOANNIS ANDREÆ AVRIÆ ANDREÆ FILII
Epitaphium.

Telluris impatientes Aquilę tuæ, Genua,
Semper ad volatum erectæ
Diu à Cælo abeſſe non ferunt.
IOANNES ANDREAS AVRIA
Genere, Genio, Ingenio
Laudatiſsimus Princeps

Digitized by Google

Ad Solem originis ſuæ,
Se vix natus explorans
Quos Heroas referebat in nomine,
Eoſdem reſtituere ſtuduit in Virtute.
Felicibus nimium initijs
Præfeſtinatum ſibi exitum vaticinatus,
Senium, quod habiturus ſuo loco non erat,
Viſus eſt in pueritiam
Maturitate præpoſtera tranſtuliſſe
Quidquid accipere à cultura potuerat
Dedit ipſemet ſibi.
Tam ludis inimicus,
Quàm honeſti amicus laboris,
Contentus voluptate,
Quæ rectè factis inequitat.
Aliam omnem ademptam tempori.
Æternitatis commodis immolauit.
In ornamentum,
Non in iniuriam Libertatis
Princeps in Patria.
Priuati Modeſtia
Erumpentem à ſe maieſtatem coercens,
Vel in hoc omnibus maior eſt habitus,
Quod nulli fieri dedignaretur æqualis.
Lucratus facilitate indolis amores omnium,
Felicitate Virtutis omnium admirationes,
Quia pleraque poſſe noluit, omnia potuit.
Nihil in ſua magis amans fortuna,
Quàm quod prodeſſe non ſolum miſeris,
Sed & felicibus poſſet.
Mutuatus non aliunde
Quàm ab Auis ſuis exemplum magnificentiæ.
Præter Ferdinandum Cardinalem Auſtriacum,
Et lectiſsimam Principum turbam,
Ferdinandi Secundi Fratrem, Tertij ſponſam
Im-

Imperatorijs planè impenſis hoſpes excepit.
Dignus minima non accipere,
Qui non niſi maxima daret,
Non ideo manus factus ad Regna,
Quod in Republica natus eſſet,
A Philippo Quarto Sardiniæ Prorex datus,
Odioſum Priſcis exilium
Fecit gratiſsimam feliciſsimo cuilibet ſtationem;
Qui ſecum duceret Coloniam Gratiarum
Fortunatam facere
Inſulam quamcunque potuerat
Senſere illico inimicum genium Graſſatores;
Inanem beneficentiam reputans ſua dare
Quamdiu non amoueret eos,
Qui raperent aliena.
Quibus bonam indere animam non ſperauit,
Malam ademit.
Vacauit omni planè latrocinio
Latronum pœna.
Tres eorum deletæ Centuriæ
Minuerunt Ærarium Principi,
Gloriam ſolam auxerunt
Hac ipſa ſua ſeueritate tam carus ſingulis,
Quam vtilis vniuerſis,
Partà periculis ſuis ſecuritate Prouinciæ;
Illam in Aurei fiduciam ſeculi
Prorex planè Aureus excitauit
Atqui diuturna non potuit eſſe felicitas,
Quæ ipſa propemodum vota populi poſsidentis
Exceſſerat
Quem vitæ fatigabant Virtutes.
Illum morborum Vitia,
Quæ ſola corrigere non potuit, peremerunt;
Abière in exleges fletus
Nobiles huius funeris Præficæ

Sar-

Sardinia, Hiſpania, Italia,
Miſeratæ fatum Herois,
Cui, ad hoc vt maiores,
Aut æquaret, aut vinceret,
Non aliud defuerit præſidium,
Quàm ætatis,
Immortalitate nihilominus
Iam in tuto repoſita
Infortunij huius damna non ſenſit.
Viue & tu Deo Viator,
Quacunque hora contigerit mundo perijſſe.

Clariſsimi Viri

ANSALDI CEBA.

Epitaphium.

Quemcunque Virum, Viator, quæſieris
Poetam, Oratorem, Hiſtoricum,
Græcum, Latinum, Italum inueniſti,
Summa Anſaldi Cebà ſingularitas,
Vnum nomen & omnem hominem extitiſſe.
Caue ne illum è ſaxo metiare quo capitur.
Heroas nuſquam minus, quam in Vrnis reperies.
Illis nulla mundi pars Vacat,
Qui & Cælum replent anima, & terram famà,
In ea familia genitus,
In qua, qui prodiret non optimus,
Monſtrum eſſet,
Nicolai Patris pietati
Magna de cœlo merces aduenit.
Felicitate Indolis
Neceſsitati educationis occurrens
Citra detrimentum Innocentiæ
Tolerare potuit puer
Parentis vtriuſque iacturam

Dum

Dum quam vtrique debuiſset obſeruantiam,
In natu maiorem tranſtulit Fratrem;
In Litteris, quæ magis humanæ ſunt,
Summè diuinus
Per bonas artes
Sibi aditem ad optimas patefecit.
Dicendi nitore,
Non mentiendi libertate Poeta,
Et Morum, & Verborum elegantiam
Pari laude profeſsus,
Comicus, Tragicus, Epicus,
Alcippo, Silandra, Eſthere,
Omnem Apollini lauream occupauit.
Pluris faciens Ius ſeruare, quàm dicere,
Litium odio, non otij deſiderio
Iuriſprudentiæ valedixit.
Valedixit & Aulæ, qui & aptare ſe illi nollet,
Et illam ſibi non poſset.
Quod tamen fuerit ab Auliciſmo curatus,
Inter bona, quæ malæ Valetudini debuit,
Numerauit.
Romanum Cælum Patrio mutare coactus,
Sola iam ferens
Magnarum cogitationum frequentiam
Vrbe relicta in Villam ſeceſsit.
Parnaſsum non alium habuit ijs diebus Liguria,
Quam quem nouus Apollo, nullis non ſtipatus
Muſis, incoluit.
Nobilis ruſticus
Omni facturus inuidiam Vrbanitati
Vocatus ad gerendam Rempub.
Clericum induit;
Facto ſuo probans,
Ciuem, cuius ideam tradidiſset,
Difficilius exemplo exprimi, quam ſtylo deſcribi.

Salu.

Salutis alienæ non immemor;
Vbi videri ſolum potuerat memor ſuæ,
Saram Coppiam,
Quia Fæminam, quia Poetriam, quia Hebream
Efficax alioquin Orator
Fruſtrà lucrari ſtuduit Chriſto.
Seu Lanfranchi Fratris Eclogarium ageret,
Seu Furium Camillum ornaret;
Seu Romanam Hiſtoriam texeret,
Seu Græcos Theophraſti characteres
Transferret,
Seu de Eloquentia, & Epopœia præciperet;
Seu ad amicos, & Principes litteras daret,
In diſsimilibus argumentis
Nunquam non ſimillimus, ſibi
Omnem cuiuſq; litteraturæ gloriam ſuam fecit;
Gemina fame Deum honorans,
Altera, quam in exophago longis Ieiunijs aleret
Altera quam in animo
Pijs commentationibus inflammaret,
Primam Philoſophiæ partem conſtituit,
Culturam ſui,
In eligendis amicis tam cautus,
Quam conſtans in retinendis
Quid quid cum ijs non habuiſſet commune
Perdidiſſe ſe credidit.
Nihil magis in diuitijs amans,
Quàm quod poſſent, & ſine vitio prodigi,
Et cum lucro contemni,
Ad nuditatis vſque periculum
Profuſus in pauperes,
Illis ita dedit omnia,
Ac ſi ſeipſum etiam debuiſset.
Sui ſeuerisſimus Cenſor,
Qui ſe ſeruorum more ſæpe punierit;
Cul-

Culpauit adoleſcentiam ſuam ſenior,
Quod contra quam ſeuerum decuiſset ingenium
In amœnitatem Poeticam manſueuiſset.
Qui poſteritatem in libris haberet, non Liberis,
Pro Eſtheris ſuæ ſollicitus innocentia
Vitæ maluit damnum ſentire, quàm famæ.
Vir omni titulo immortalitatem promeritus,
Seu quod ita vixerit,
Seu quod ita ſcripſerit,
Seu quod ita perierit.

FEDERICI SPINVLÆ
Philippi Filij, Ambroſij Fratris.
Epitaphium.

Federico Spinulæ
Ne quod deeſset calcar ad gloriam
Spinam, quam ſui habent in ſtemmate,
Ipſe ſibi fixiſse viſus in corde.
Memoria Feliciſsimæ Originis
Fuit illi ſemper corporis antidotum,
Nunquam alimentum tumoris.
Liguſticus, Alexander,
Philippo, & ipſe genitus Patre
Duriſſimæ Militiæ Tyrocinium
Pueritiam habens,
In ditione corporis ſui
Vbi primum experiri pugnas
Cœpit,
Cœpit exornare Victorias.
Qua Cilicijs, qua flagellis
Atrocius ſauciauit Spinula Venerem,
Quam olim ſpina.
Tam ſpina tamen, quàm Spinula roſam fecit,
Cui in ornamentum candoris

Purpura cruoris accederet.
In ſumma auri copia
Vnde ferri amorem attraxerit neſcias,
Authoratum à pietate ne dubita
Qui non alios, quam oppugnatores Pietatis
Impugnandos acceperit
Ad bellum ſacrum
Apparatu plane ſacro profectus
Ingentem Virtutum exercitum
In Patauii perniciem duxit,
Non accepere illum bella nocentem,
At nec fecere,
Sub Alexandro Farneſio
Ita per plures annos militem agens,
Ac qui iam in ſe gereret ſummum Ducem,
Antheus in Tellure, Cycnus in Mari,
Achillem, & Herculem
In omni laceſſere potuit elemento,
Primus qui Triremes Holandis
Faceret partem metus
Inter hoſtes à ſe deuictos
Domita potuit inſana freta cenſere.
Illo Duce pauci Myoparones
Plurium Claſsium egere negocia;
Conſilia hoſtium nemo explorauit ſolertius,
Nemo felicius impediuit:
Audijt Federici merito per ea maria Ligur
Iam non ſolum detector Orbium,
Sed & quorumlibet arcanorum.
Sane Philippo Regi non prouincias ſolum,
Sed & Albertum ſeruauit Archiducem,
Quem ab Orangio circumuentum.
Videri prope potuit recuperaſſe.
Et triremibus auctus, & titulis.
Illas in hoſtem educens, hos in ſe tegens

Pu-

Publico bono coegit
Suà quoque modeſtia militare.
Nihil minus dici volens,
Quàm quod eſse maxime
Cuperet,
Ita intentus cogitare quid faceret,
Vt obliuiſceretur penitus quid feciſſet,
Dum expeditionis arcanæ
Opportunitatem expectat,
Nauali orta cum hoſtibus pugna
Honeſtiſſimæ Vitæ præmium retulit,
Glorioſiſſimam Mortem,
Ingentem Virum confeſsa fortuna eſt,
Quem non niſi omnium maximo ſperauit
Telo proſternere.
Meliori digna virtus luce clareſcere
Amiſit terreſtri tacta fulmine ſpem latendi.
Gratulatus ille corpori ſuo
Tam honorificam calamitatem
Excitauit animum, vt occaſione fracti carceris
In libertatem, quam ſemper anhelauerat, auolaret.
Victor hoſtium moriens.
Et quod eſt laudabilius, Victor ſui,
Per laxatas membrorum rimas
Integritatem animi patefecit illæſam.
Chriſti miles emeritus in triumpho illo ſuo
Cilicij chlamide decorus apparuit,
Et cuius meruiſſet ſtipendia
Illa quaſi teſſera demonſtrauit.
Quidni Deo, & Regi rebelles vinceret,
Qui in eo, & Regis armis vteretur, & Dei;
Date ſuperi,
Multos Catholicæ Militiæ Federicos,
Ruet illico Hæreſis, Virtutibus magis victa,
Quàm bellis.

IN LAVRENTIO SAVLO SEPVLTIS

Epitaphium.

Solare fletibus tuis Gratiarum mœrorem, Liguria
Quando ſuo conſepultæ Laurentio
Funeris, cuius & ipſæ pars ſunt,
Agere Præficas minus poſsunt.
Lugeant oculi damna ſua, ſi aliena diſſimulant;
Inde doleant obijci ſibi argumenta luctuum,
Vnde ſemper antea fluxerant gaudiorum.
Saulus hic cui & in itinere proſtrato apertum,
Sed ſine iurgio, Cælum eſt,
Phænix iuuenum vel ipſa naſcendi ſorte
Deſcriptus
Matris è ſunere Vitam hauſit.
Nouum ſolem enixa femina,
Quo alio fato deficeret, quàm Auroræ?
Exhauſta tanto fœtu natura eſt;
Qui vni omnia dederat,
Alium non ſperauit poſse dotare.
Vel hinc innotuit
Commodati ad breues vſus muneris pretium;
Quod non niſi accepta pro pignore
Tam pretioſa Matre daretur;
Dedicauit extremam Bacchanalem licentiam
Exortu ſuo tanta modeſtia;
Vel ipſas primas lacrymas ſuas
Humanæ leuitati
Conuicium fecit.
Imminente Cineribus die natus
Ominari ſibi non niſi breuem Vitam potuerat,
Nouus Samuel,

Sed

Seu quod Annam Matrem habuiſset,
Seu quod vel Puer Dei voces audiret,
Cæli Ciues
Ad ſimilitudinem vſque vultus expreſſit.
Conſuetudinem Virtutis
Alteram ſibi naturam conſtituens,
Dei affinitatem
Nobilitatis primam teſſeram ratus
Equeſtrem Vitam non alijs,
Quàm æquitatis limitibus definiuit.
Harmonia morum,
Quodam quaſi Magico carmine
Excantans inuidiam,
Diuiniſſimo ſemel in hebdomada pane
Refectus,
In ipſam alimenti ſui ſanctimoniam viſus abire
Suos triumphauit, & ignes
Iſte LAVRENTIVS;
Omnes glorioſi huius nominis partes
Impleuit,
Qui & pauperibus theſauros diſperſit,
Et admota ſibi ab Erebo faces extinxit
quidquid in ſene munerare honores
Potuerant.
Amores in Iuuene ſuſpexerunt,
Decepit naturam ipſam ſumma maturitas,
Creditus eſt ad Autumni iura ſpectare,
Qui nihil iam redoleret acerbum.
Quantumlibet inuerecunda mors ſit
Horruit in Genuæ oculis carpere tantum florem.
Scelus hoc ſuum vt abſcondere in orbe remoto
Lauretum cum vxore, & Patre
Peregrinantem ſequuta,
Parum abfuit; quin tantæ innocentiæ
Infamiam illam affigeret

Vt dici deberet & Matrem perdidiſſe oriens,
Et Patrem moriens peremiſſe.
Venetijs expertus maiorem in Vitæ fluxu
Quam in Hadriatici fluctibus Anomaliam,
Ferrariam vſque differens fatum,
Perdere ſe Vitam non credidit, cum mutaret.
Impetrarunt lucrum hoc Cælo
Sanctorum omnium merita;
Fruſtra illum iam retinuere remedia,
Quem in die ſuo ſibi contubernalem depoſceret
Tanta cohors.
Vt intelligeres abire illum in lucem,
Exeunte nocte deficiens,
Probauit in hoc ipſo ſe ſidus,
Quod euaneſceret in Aurora.
Somnium ne putes, quod moriens adeſſe ſibi
Cælites dixerit,
Minus mihi prodigium vidiſſe Cœlites,
Quàm tanquam eorum vnum ſemper vixiſſe.
Felix cui Pietas, & magiſtra Vitæ fuerit,
Et Mortis occaſio.
Longè felicior,
Qui Mariam in Piceno non viderit,
Sed in Cælo.

INFV-

INſVLATÆ VIRTVTES

Hoc eſt Celebriorum Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ, Epiſcoporum.

ELOGIA.

Auguſtini Hipponenſis,

ELOGIVM.

Aurelius Auguſtinus
Octauo decimo Conſtantij anno natus
Non niſi Theodoſij decimo viuere cœpit.
Primam ætatis partem ne quæras;
In Cœno perdidit.
Felix, qui demum ſcierit amiſſa redimere,
Felicior qui ponerit.
Vera gaudia auſpicatus à gemitu,
Initiandus ſublimioris doctrinæ Magiſter
Librum è Cœlo iubetur accipere.
Sordes ſuas ſpeculatus in pagina,
Vt eas vel obrueret, vel elueret,
E Matris oculis lacrymas tranſtulit in ſuos.
Sibi, Matri, & Patriæ redditus,
Tenebras ſuas dum in lucem edidit, illuſtrauit.
Nunquam videlicet Solem puduit
E tenebris erupiſſe.
Nullius honoris auidus, omnium capax,
Meruiſſe contentus, habere contempſerat,
Niſi plus merita, quam demiſſio potuiſſent.
Æquè ſcribenda faciens, ac legenda deſcribens,
Moribus ſuis fidem ornauit,
Stylo defendit.
Veritatis amantior, quam ſui,
Defæcauit infectam, refecit extinctam.

Vtilis, dum errores retegeret alienos,
Sincerus dum nec tegeret ſuos.
Homine maior in diuina conſurgens,
Ita Deum deſcripſerat ac ſi vidiſſet,
Niſi anguſtias ſuas
Auguſtum etiam ſenſiſſet ingenium.
Iamque non habens vltrà
Quod diſceret, vel amaret
Æquè annis, ac meritis grauis,
Obſeſſa ex Vrbe migrauit in Cœlum.
Felix Africa,
Si crebrius huiuſmodi monſtra proferres.

Ambroſij Mediolanenſis

ELOGIVM.

Ambroſius re quàm nomine dulcior,
Mel ante habuit in ore quàm voces.
Auorum gloria nobilis, nobilior ſua,
Chriſtianus antè cœpit eſſe, quàm fieret,
E Prorege deſtinatus Antiſtes,
Subiratus virtuti ſuæ,
Quod latere neſciret, effugerat,
Si eum ſola hominum ſuffragia delegiſsent.
Laboribus ſuis alienos abſumens
Nulli non intimus, omnium ſenſit incommoda,
Ita miſeros audiens, vt felices dimitteret,
Ita feliciores admonens, vt linqueret infelices,
Principibus æquè carùs, ac vtilis
Veneratus vt Patres, correxit vt Pater;
In hoc verendus,
Quod contemneret neminem;
In hoc timendus, quod neminem formidaret,
Chriſti cauſam reputans ſuam

Vt

Digitized by Google

Vt depreſsam erigeret ſæpe depreſsus,
Facundia hoſtes deterruit, conſtantia fregit.
Aures ſuas obſtruens nulli,
Vocem omnibus exhibens,
Fecit incertum,
Audiendo ne magis profuerit, an dicendo.
Vocem virtute corroborans,
Diſsertiſsimus etiam cùm taceret,
Nunquam auidus optabatur audiri
Quàm cùm diutiùs eſset auditus.
Probis factus Aſylum, flagellum improbis,
Vrbem ſuam eò meliorem reliquit,
Quò deteriorem acceperat.
Deficiente natura nulli deficiens,
Ita Præſulem ſe eſse meminerat,
Vt ſenem ſe eſse neſciret.
Quorum mores expreſserat, veneratus exuuias,
Exhibitos alijs honores promeritus,
Vitam mutauit, cùm eſt viſus amittere.

Paulini Nolani

ELOGIVM.

Paulinus ad felicitatem Italiæ natus in Gallia,
Optima quæque cùm poſset, elegit;
Cùm non poſset, quæ eligere potuiſset, accepit.
Illis è Parentibus ortus,
Qui talem mererentur hæredem,
Ita quæſiuit ex moribus claritatem
Ac ſi nullam ex Natalibus habuiſset,
Muſis amicus,
Vt earum leuitatem, grauitate corrigeret ſua;
Poetam ſolo exprimens nitore carminis.
Artem omnem virtuti vectigalem effecit.

Aſſequutus Vxorem, quam tales decerent Nuptię,
Vt omne vitæ genus ſuis erudiret exemplis.
Sponſam Chriſto potius
Viſus eſt accepiſſe, quam ſibi.
Diu peregrinatus,
Vt luci ſuæ latebras quæreret.
Quò ſe magis circumageret, magis accenſus,
Illis ſe prodidit artibus,
Quibus abdere ſtuduiſſet.
Cùm omnia eriperet ſibi,
Vt in egenos effunderet,
Coactus, vnà cum opibus, operam ſuam
Nolanis impendere,
Ita ſalutem curauit animorum,
Vt non negligeret corporum.
Aliorum nunquam oblitus,
Sui ſæpe non memor,
Vſurpare ſibi non appetens,
Niſi omnium calamitates,
Quem in ſe vitæ amorem extinxerat,
Excitauit in ſuis,
Interceptus à Barbaris.
Ne melior ſua eſſet, quàm ſuorum conditio,
Omnium infeliciſſimus
Si vllo felicior extitiſſet,
Nunquam ſe miſerum doluit,
Niſi cùm ærumnarum ſocios habere ſe vidit.
Libertati redditus,
Libertate ſuà redemit alienam.
Nunquam liberalior,
Quàm cùm non haberet vltrà quid daret.
Ex Africa in Italiam,
Ex Italia reuectus in Cœlum,
Felicitatem, quam ſuis viuendo creauerat,
Abſtulit obeundo.

Præ-

Præſulum norma, quod ita vixerit
Gloria quod ita ſcripſerit.

Cypriani Carthaginienſis

ELOGIVM.

Cyprianus vt Africæ geminaret ardores
Natus in Africa,
Nobilitatem, quam naſcendo meruerat,
Viuendo, fecit ampliſſimam,
Immortalem reddidit obeundo.
Æquè fœcundus ingenio,
Ac facundus eloquio,
Nunquam diſcere renuens,
Nunquam dedignatus docere,
Suum etiam Carthagini Tullium dedit;
Vt quando deſierat armis
Cum Roma contendere,
Eam conaretur facundia ſuperare.
Nihil ſe ſcire reputans,
Cùm Deum ſe ignoraſſe cognouit,
A Cæcilio, & fidem accepit, & nomen;
Futurus Maximus
Cum Chriſti quæreret gloriam;
Qui iam ita Magnus extiterat,
Dum tantum quæreret, ſuam.
Sibi vni vtilis eſſe iam neſciens;
Deo ingratus eſſe iam nolens,
Acceptam lucem ita diffudit in cæteros.
Vt in ſe non minueret, ſed augeret.
Pro veritatis patrocinio
Sæpe progreſſus in forum,
Intempeſtiuam ratus
In tam bona cauſa facundiam;
Eam ita neglexit,

Vt vel ipſi Cypriani negligentiæ, nulla ſolertia
Poſsit æquari.
Quo proprius ad Deum accederet.
Ab vxore, Natiſque recedens,
Cum ſe deprimeret infra cæteros,
Supra cæteros meruit collocari,
Præſulem ſe eſſe gauiſus,
Quod è ſublimiori ſpecula
Aliena melius ſpectaret incommoda,
Se graſsante lue, probauit medicum,
Tiranno ſæuiente, patronum.
Barbarorum ſæuitiem præcauens,
Non effugiens.
Cum omnium animos in ſe vno ſeruaret,
Diu delituit, non quia timidus,
Sed quia prudens.
Cùm tutò poſset adhuc latere,
Et citrà notam temeritatis
Iam poſset erumpere,
Quos ſæpius Verbis accenderat,
Accendit exemplis.
Suis æquè vtilis cum lateret, ac cum erumperet,
Non illibentius vitam amittens,
Quàm alter eriperet,
Quæ virtutibus accenderat odia,
Extinguens ſanguine
Se ita vixiſse,
Vt ſtrenuum mori mereretur, oſtendit.

Hilarij Pictauienſis

ELOGIVM.

Hilarius oppreſsæ veritatis hilaritas,
Hilaratæ ſecuritas,
Quam ſemel accepit in Galliam vitam
Gal.

Galliæ non reddidit ſemel.
Ab errorum tenebris
In meliorem lucem aſpirans,
Dum Philoſophiam ſcrutaretur humanam,
Diuinam inuenit.
Errore ſuo felix,
Qui pernicioſa quærens inueniſset vtilia,
Nequitiam execratus, vbi primùm agnouit,
Eò citius virtutum iter abſoluere ſatagens,
Quò ſeriùs inchoauerat,
Monſtri loco cæpit haberi,
Seu quod ſine noxa iam viueret,
Seu quod ſine erroris ſuſpicione doceret,
Quam vnam à Deo acceperat filiam,
Eidem deſpondens
Sibi maluit ablatam videre quàm ſponſo,
Nunquam viſus hilarior,
Quàm cum Deum huiuſmodi nuptijs
Sibi fecit affinem.
A Pictauienſibus,
Contra errorum Anteſignanos
Electus in Ducem.
Cùm ab hoſtibus
Nec tolerari, nec vinci poſſet,
Relegatus in Phrygiam,
Nouum Solem ab Occidente
In Orientem reduxit.
Stylo decertans cùm vltra voce non poſſet,
Quod hoſtes minarentur appetens,
Quod pollicerentur contemnens,
Ijs ipſis, qui timeri voluerant,
Cœpit eſſe timendus
Perditum Principem accuſans voce,
Condemnans moribus
Ab eo Patriæ reſtitutus, magis indoluit

Quod

Quod rediret, quàm quòd abi jſſet;
Pugnaſſe ſe pro veritate vix reputans,
Quod non occubuiſſet in Pugna.
Abſentiæ ſuæ damna rependens
Laboribus ſuis beauerat Gallias,
Authoritate defenderat,
Niſi Cœlo pretioſior extitiſſet,
Quàm vt diutius ſinqueretur in terris.

Martini Turonenſis
ELOGIVM.

Martinus Conſtantij miles antequam Chriſti,
Neſcias an militiam laudabilius adierit,
An abiecerit.
Gloriam non minus ex moribus appetens,
Quam ex armis,
Fortitudine militem retulit,
Moderatione Monachum;
Chriſto iam militans
Cùm nondum merere mundo ceſſaſſet;
Nudus eſſe malens, quàm parum pius,
Dei beneficentiam prouocans ſua,
Chlamydis parte totum emit Empyreum.
Cum in fures offenderet,
Suà ſecuritate defenſus,
Illis nequitiam eripuit,
Qui vitam ſibi rapere ſtuduiſſent;
Æquè beneficus cùm hæc adimeret,
Ac cùm traderet meliora.
Nihil ab Erebo metuens,
Nihil à Cælo non ſperans,
Cùm viuos bene mori doceret,
Mortuos ipſos bene viuere docuit,
Homine maior,
Seu vitam daret animis,

Seu

Seu redderet membris.
E Cœnobio coactus ad Inſulas,
Cum nemini deeſſe curaret,
Monachus eſſe non deſijt,
Non magis admirandus
Cum chlamydem diuideret,
Quam cum hæc ita diuiſa connecteret.
Cum miſeris donaret omnia,
Moleſtis omnia condonaret,
Nihil habens quod Dei cauſa non daret,
Nihil appetens quod à Deo non acciperet:
Illuſtrauit virtute prodigia;
Prodigijſque virtutem.
Ita reueritus homines, ac ſi timuiſſet,
Ita Deum, ac ſi non amaſſet;
Se vnum habuit, quem contemneret,
Vnum, quem non amaret.
Laborum nunquam auidior
Quàm cum diutiùs laboraſſet,
Cùm inter homines nihil niſi Cæleſte ſaperet,
Inter Cælites nil humanum:
Ita voluerat in Cælis gaudere cum Deo,
Vt non deſineret in terris deſudare cum ſuis.
Votorum litem componens totus non elatus
In Cœlum.
Neſcias vtiliorne terris fuerit,
An Cælo charior.

Remigij Remenſis

ELOGIVM.

Remigius ingens Galliæ prodigium
Ingenti prodigio natus.
Vitam à prodigijs inchoans,
In prodigijs tranſigens,
Et abſoluens,

Hoc

Digitized by Google

Hoc primum edidit in Orbe prodigium,
Quod ſterile parentis ſenium fœcundauit.
Non deterior eſſe cum cœpit,
Quàm promiſſus fuerat antequam eſſet.
Lacte quod ſuxerat cæco reddidit oculos;
Agente Deo,
Vt cùm noua luce,
Noui etiam oculi naſcerentur.
Primà in ætate inchoans,
Quod perficeret in extrema
Crederes è ſenibus
Senem natum eſſe, non puerum.
Ne cautior eſſe deſineret, elapſus ad Cautes,
Se Victorem facere ſtudens,
Vbi præter ſe nullus erat quem vinceret;
Se vnum impugnans de ſe etiam triumphauit.
Dignus, quem cogerent præeſſe Remenſibus
Cùm ſe ita bene præeſſe cogeret ſibi.
Adoleſcentiam præcoci ſenectute nobilitans
Labores ſuos, quo inchoauit ardore, confecit,
Nunquam ad metam aſpirans,
Quòd nullam pateretur habere.
Igneum crediditſſes,
Niſi quod excitatos ſæpe ignes extinxit.
Peccata neſciens, niſi vt corrigeret;
Ærumnas omnium ſcire cupiens, vt curaret,
Dei largitatem implorans,
Cùm humana deficeret,
Cœlum telluris alumnis,
Terram Cœli donis impleuit.
Inuictiſſimum Regem
Chriſti Regno ſubijciens,
Galliam vniuerſam Cælo vectigalem effecit.
Regibus maior,
Cui tam multa licerent in Reges.

Extre-

Extrema in ætate cæcutiens;
Vt cæcitatem & curare,
Et tolerare ſe potuiſſe probaret;
Vnum in ea dignoſcens commodum,
Quod ſe melius videre iam poſſet,
Tandem oculis Deum reddens, animum Deo
Ita migrauit è viuis,
Vt adhuc in tumulo viuere videri poſſet.

Euſebij Vercellenſis

ELOGIVM.

Euſebius Vercellenſis
Non ad vnius gloriam Prouinciæ natus,
In Sardinia animam, in Latio fidem,
In Inſubria palmam accepit.
Romano Pontifici à Matre creditus Puer,
Vt ſub eodem Præceptore
Et Euſebius erudiretur, & Mundus,
Cuius virtutem acceperat, accepit & nomen.
Romà ſe dignum non reputans,
Niſi addictiſſimam ſpectaculis Vrbem,
Nouo ſpectaculo paſceret:
Virtutes omnes in ſe
Tanquam in theatro circumtulit
Cùm ipſe Romæ, non ipſi Roma ſufficeret;
Monachorum mores
E Grecia in Italiam deuehens,
Nouæ Philoſophiæ,
Et Auctor eſse meruit, & Idea.
Vercellas accitus;
Vt Vrbem antiquiſſimam
Sua innouaret induſtria,
Nolens ita vacare cæteris,
Vt ſui vellet oblitum,
Dignus viſus eſt,

Vt

Digitized by Google

Vt qui præuerat Monachis,
Præiret Epiſcopis.
Vt virtutes meteret, vitia demetens,
Vt veritatem firmaret, errores eneruans,
Illis diu placere non potuit,
Quibus æquè virtus, ac veritas diſpliceret,
Athanaſium damnare renuens
Ne in illo ſe ipſum damnaret;
Maluit cum eodem reus abire,
Quàm iudex in eundem ſedere.
Infelix Italia
Si quem daret Athanaſio
Socium non habuiſſet.
Ita exilium tolerans, vt videretur optaſſe,
Ita ſuos litteris roborans,
Vt vix crederetur abeſſe:
In peſſimi Principis funere reuiuiſcens,
Vrbi ſuæ redditus,
Eam reddere ſtuduit veritati.
Iterum tamen frementibus iјs,
Qui æquè in ſe,
Ac in aliјs probitatem, odiſſent,
Multiplici ſupplicio deleri potuit, non terreri.
Dignus qui veritatis annos æquaret,
Qui obrutæ ſupereſſe noluerit veritati.

Thomæ Cantuarienſis
ELOGIVM.

Thomas Cantuarienſium Athanaſius:
In Patriæ natus incendio,
Nunquam aut frigidus eſſe potuit,
Aut obſcurus.
Æquè naturæ,
Ac hominum beneficentiam expertus,
Ita Regi placuit,

Vt

Vt alterum penè faceret Regem,
Ita Deo, vt alterum penè redderet Deum.
Cùm ita placeret omnibus,
Sibi vno non placens,
Et Regis, & Dei ſuffragijs factus Antiſtes;
Eò deueniſſe ſe doluit,
Vbi & Deo placere non poſſet, & Regi.
Quò ſublimiùs aſcenderat,
Eò ſtudens clariùs emicare,
Mutuatus à virtutibus radios,
Eſſe cæpit illuſtrior,
Quàm vt poſſet ab inuidorum oculis
Tolerari.
Principum legibus obſtare paratus,
Si diuinis obſtarent,
Cùm Regi dare non poſſet,
Niſi quod eriperet Deo,
Ingratus, videri maluit, quàm eſſe.
Cedentibus cæteris
Quod vnus & ſibi ſufficeret, & veritati,
Aulæ iam grauis, quia leuis eſſe neſciret,
Ibi diutius eſſe noluit,
Vbi ſecum veritas libera eſſe non poſſet.
Nobilis exul vbique Patriam inueniens,
Optimam cauſam
Tolerantia ſua meliorem effecit.
Nunquam memor iniuriæ,
Niſi vt condonaret,
Suorum ærumnis indoluit, non doluit ſuis.
Tempori ſeruiens, vt Deo ſeruiret impenſiùs,
Inter Monachos ita vixit in ſyluis,
Ac ſi nunquam inter Aulicos
Vixiſſet in vrbibus.
Corpori ſuo ea inferens damna,
Quæ vix voluiſſet Tyrannus,
Exi-

Exilium ſæpè permutans;
Animum nunquam.
Reuocatus in Patriam,
Vt inde parricidio pelleretur;
Maluit adulatorum gladijs
Inter aras occumbere,
Quàm adulator in Aula regnare.

Caroli Mediolanenſis

ELOGIVM.

Carolus Borromæus
Natus cum nouo lumine geminus,
Se tenebrarum non eſse filium
Vel naſcendo probauit.
Auorum gloriæ memor,
Vt eam geminaret in ſua,
Se talem exhibuit in pueritia,
Qualem optaſset in ſenio.
Virtutum iter neſcias
An abſoluere potuerit ſanctiùs:
Infra probitatem nil habens litteris carius,
Probitate nil reputans pretioſius
Cùm artes non appeteret,
Niſi quas optare debuerat,
Obtinuit quas optarat.
Pio Quarto affinitate carus,
Virtute cariſſimus;
In Atlantis ſuffragium
Nouus accitus Alcides,
Etiam ſine ſocio
Mundum ferre ſe potuiſſe probauit
Non tam alienæ beneficentiæ,
Quàm meritorum ſuorum ſuffragio

Pur-

Purpuratis adſcriptus,
Iure dubites
An maiorem dignitati contulerit,
An à dignitate retulerit dignitatem.
Vt Patriam virtuti redderet, Patriæ redditus,
Nunquam mentem ſuam accuratiùs coluit,
Quàm cùm etiam coleret alienam;
Virtutum ſemina, voce, manuque iaciens,
Sudore, ac lacrymis alluens,
Dignam laboribus meſsem obtinuit,
Dignam meſse mercedem accepit.
Vt ſecurius quieſcerent ſui,
Quietem adimens ſibi,
Venalis omnibus, ſi pretium habuiſset,
Neſcias an verius
Omnium Pater eſset, an ſeruus.
Animi ſui nitorem in templis exprimens,
Capacitatem in donis.
Vt auri prodigus,
Ita vitæ minimum tenax,
Quàm non amaret vtrumque,
In peſtilentia demonſtrauit,
At non ita Carolum amauerat Deus;
Vt Caroli gregem odiſset.
Vitam accipere renuens,
Quam accipere ſolam non poſset
Mori violentem coegit viuere,
Donec fatigari neſcium,
Terris eriperet, Cælo redderet.
Gauiſus in ætate tam ferrea
Aureum ſibi hominem reuixiſse,

Do-

Donati Aretini

ELOGIVM.

Donati ſi vitam diſcutias
Deo natum credas eſſe non mundo.
Martyrum filius,
Vt Martyr dedicaretur in Patre,
Æquè Martyrem dicas
Cùm Patris adeſſet ſupplicio,
Ac cùm occumberet ſuo.
Sibi relictus, & Deo,
Quem iam & præceptorem haberet,
Et Patrem,
Ita mores perficere potuit ſuos,
Vt dignus videretur
Qui & perficeret alienos,
Vndequaque mirandus,
Quod mortuis vocem daret, & vitam,
Cum vitrea vaſa connecteret,
Vitreos homines ſolidaret
Tenebrarum filijs luce diſplicens ſuâ
Eſt detruſus in tenebras;
Nunquam illuſtrior,
Quam cùm omni aliâ luce careret.
Tyranni tormenta
Tolerare paratior, quàm timere,
Maior viſus eſt,
Quod ea ſiccis exciperet oculis,
Quàm quod ſiccis veſtibus pluuias.
Deo tandem reddere cupiens,
Quod ab eodem acceperat.
Maluit capite carere, quàm fide.

Apol.

Appollinaris Rauennatis

ELOGIVM.

Appollinaris
Ita ſub Petro Præceptore profecit,
Vt alterum penè crederes Petrum.
Vmbra igitur Petri cùm eſſet,
Quidni omnia pelleret mala?
Cæcorum aperiens oculos,
Cùm tamen videri minimùm vellet,
Veritatis lucem,
Et oculis inſtillauit, & animis.
Senes bene mori docens,
Pueros optimè viuere,
Cùm meſsem ſuam
Rauenna non caperet,
Sæpe pulſatus, & pulſus,
Ignem calcare non horruit
Eam expertus in igne clementiam,
Quam omnes experirentur in ipſo.
In Etruria à Muto vocatus,
Et linguam dedit, & reddidit mentem.
Nunquam facundior,
Quàm cum mutos faceret,
Vel tacendo facundos,
Prodigijs proditus ſuis,
Cùm ſe nulli curaret prodere,
Mortuos excitans, vt bene doceret viuere,
Nullo victus ſupplicio,
Quòd omnia ſperneret,
Æquè ſe fortem exhibuit,
Ac Nero ferum.
Mari commiſſus,
Vt in omni Elemento
Suum robur imprimeret,

Acer-

Acerbius iactatus in terris;
Quàm fuiſset in mari.
Lictores quas fatigauerat in Italia
Sanguine ſuo ſatiauit in Thracia.

Maximi Taurinenſis

ELOGIVM.

Maximus Taurinenſis
Capaciſſimi menſuram nominis
Factis exæquans,
Se etiam in minimis Maximum fecit:
Magnitudine ſuà omnium oculis proditus;
Nunquam ſe maximus doluit,
Niſi cùm omnium minimus eſse non poſset:
Ideo ſe maximum negant,
Quod ſe in dies facere ſtuderet maiorem,
Dignam magnitudine ſuà ſedem
Dignè potuit occupare.
Ingenij claritatem eloquij nitore componens;
Vtrumque innocentiæ candore perfecit.
Æquè in dicendo
Ac in agendo peccata,
Vrbem ſuam Auguſtam,
Si non inueniſset, effecerat:
Tandem cùm Cęlitum vitam
Transtuliſset in terras,
Dignus viſus,
Eſt, qui transferretur in Cęlum:
Beata Ciuitas, quæ talem habueris,
Beatior, quæ merueris;
Beatiſſima, quæ ſemel amiſsum
Tam ſæpe recuperas
In lectiſſima Maximorum Antiſtitum ſerie.

Anſel-

Anſelmi Cantuarienſis

ELOGIVM.

Anſelmum
Auguſtæ Prætoriæ Cælum dedit,
Cælo Anglia reddidit.
A vitijs ætatem exorſus,
In virtute confecit;
Miſerandus, quod ita cœperit,
Mirandus, quod ita deſierit.
Sępe cum Patre rixatus,
Sæpius ſecum.
Æquè neſciens quid eligeret,
Ac quid optaret,
Tandem mores vnà cum ſolo mutauit.
Eò velociùs virtutis iter emenſus,
Quò ſe ab illa nouerat remotiorem.
E Cœnobio vocatus ad Inſulas,
Neſcias ad Monachi partes
Accuratius impleuerit,
An Epiſcopi.
Regis perfidiam vtiliter carpere malens,
Quam perniciosè lactare;
Pacem non amans,
Quæ cum æquitate pugnaret,
Minus felix eſſe maluit,
Quàm minus fortis videri.
Iterum reuocatus, iterum pulſus,
Regis duritiem, duritie retudit ſuà.
Immortalitatem
Et ſtylo, & virtute promeritus,
Oppreſſam anguſtijs vitam
Cum meliore mutauit.

Digitized by Google

Maurilij Andegauenſis

ELOGIVM.

Maurilij ſi Patrem ſpectes,
Aut Patriam,
Vt credas naſci nobilius potuiſſe;
Si vitam ſpeculeris, ac mortem,
Dubites an potuerit viuere ſanctior,
An obire ſecurior.
Felix, quod Ambroſium, & Martinum
Audierit;
Felicior, quod expreſſerit
Profectus in Gallias,
Vt nouum daret Gallijs Thaumaturgum,
Eas & prodigijs illuſtrauit, & meritis.
Cum æquè ille omnibus
Ac illi omnes ſubeſſe percuperent,
Se vno gemente factus Antiſtes,
Auxit vnà cum dignitate prodigia.
Peccata deteſtatus vbi erant,
Veritus vbi non erant,
Cùm in ſe certa punire nequiret,
Dubia punijt:
Sui nimium rigidus Cenſor,
Quod totam lenitatem ſuam ſeruaret alijs.
Ab exilio, quo ſe ipſe mulctauerat
Prodigio reuocatus,
Cùm iam ſeptennium mortuos
Excitaret è tumulis,
Homo eſſe deſijt,
Quod iam Deus apud homines
Eſſe cœpiſſet.

Finis.

Digitized by Google

Fulgentij Ruſpenſis

ELOGIVM.

Fulgentium neſcias an ex fulgure,
An ex fulgore deducas:
Fulgoribus ſuis bonos exterrens,
Fulgere, cùm nunquam deſierit,
Sæpe non deſijt fulgurare,
In Africa natus,
Nouum ex Africa monſtrum eduxit,
Hominem videlicet,
In quo nec quid humanum aſpiceres,
Nec quid ferum
In Chriſti Domo malens inquilinus eſſe,
Quam in ſua Dominus,
Æquè inter Monachos,
Ac inter Epiſcopos docuit
Omnia virtutem agere
Omnia poſſe etiam tolerare.
In Sardiniam relegatus,
Quod gemini Solis ardores
Africa pati non poſſet,
Cùm ſe antequam pelleretur
Exulem crederet,
Mutauit exilium, Patriam non amiſit;
Ruſpenſibus redditus,
Vt omnes ſibi ſimiles faceret,
Se nulli diſſimilem fingens,
immortalitatem
Et ſibi acquiſiuit, & ſuis.

Digitized by Google

Aloyſij Toloſani

ELOGIVM.

Aloyſius è Rege natus ad Regnum
Nunquam ſe Regem credidit,
Niſi cum ſe ſubderet ſibi.
Mundo iam vtilis
Cùm vix erupiſſet in mundum,
In captiui Parentis locum
Suffectus puer,
Carcerem ſuum
Eruditione multiplici Lycæum fecit.
Quò arctius tenebatur in terris,
Eò liberiùs in Cælum euolans,
Optimam mentem, nec vinci, nec vinciri poſſe
Probauit.
Non ideo innocentiam minuens,
Quod ætatem augeret,
Sui Regnum Regno nobilius reputans ſuo,
Vt ſe omnium maximum faceret,
Inter minimos haberi voluit,
Non eſſe.
Coactus Toloſanis præeſſe,
Quandoquidem ad Imperium natus erat.
Neſcias an ſe omnium ſeruum
Factum crederet,
An omnium Patrem,
Vt vitam produceret alienam,
Contrahens ſuam,
Meritis addens quod annis adimeret,
Virtutum iter,
Quando alius inchoaſſet, abſoluit.

Athanaſij Alexandrini

ELOGIVM.

Athanaſij virtus ſenilis in Puero,
Puerile nihil vnquam habuit præter ætatem.
Antonij Magni diſcipulus,
Sub Chirone altero Chriſtianus Achilles,
Neſcias an plura didicerit, an docuerit.
Veritatis amantior quam quietis,
Vt reduceret exulem, remeauit in Patriam.
Æquè infenſus Ario, ac Arius Chriſto,
In omnibus ab eodem diſſentiens,
In hoc vno conſenſit,
Quod vterque Athanaſium nollet Epiſcopum.
Vtroque tamen inuito coactus ad inſulas,
Omnium amorem promeritus,
Quia ſatis amari non poterat, incurrit in odia.
Ab hoſtibus delatus ad hoſtes,
Nunquam non agnitus innocens,
Sæpe damnatus vt nocens,
Sedem maluit mutare, quam ſyllabam.
Principum iras ideo non metuens
Quia ferre poterat,
Conſtantino non placuit, quia minus notus,
Conſtantio, Iuliano, Valenti, quia non ignotus;
In hoc etiam cùm veritate conueniens,
Quod Regibus diſpliceret.
Sed hoſtes ſuos
Ideo in Athanaſium Deus alliſit, vt frangeret,
Reuocatus ab exilio, vt iterum pelleretur,
Æquè triumphans cum cederet, ac cum rediret
Herculi ſuppar,
Non vnum laboribus ſuis fatigauit Euriſtheum.
Sæpe quæſitus ad necem,
Semper ad duriora ſeruatus,

Digitized by Google

Bonorum vota præferens ſuis;
Inuiſum inuidis lumen,
Ne extingueretur, abſcondit.
Arenti diu clauſus in puteo
Illum impleuerat lacrymis,
Niſi deſiccaſſet ardoribus.
Malens cùm mortuis, quam cum perditis viuere,
Eius in tumulo vitam depoſuit ſuam,
A quo vitam acceperat:
Sciens nullum tutius commiſſa ſeruare,
Quam qui dedit.
Hoſte deficiente quem vinceret,
Reuocatus è pugna,
Sui quietem peperiſſe contentus,
Ea perfrui noluit,
Tunc primum mori cupiens,
Cùm vitam potuiſſet amare.
Homine maior,
Qui ſe in hoc vno probarit hominem
Quod pati poſſet.

Ioanni Gryſoſtimi

ELOGIVM.

Ioannes eloquentia aureus, tolerantia ferreus;
Pretioſior fortaſſe quod ferreus,
Quàm quòd aureus,
Neſcias vbi cœperit eſſe ſanctiſsimus.
Aut quando deſierit.
Bonas artes cùm diſceret, docuit meliores,
Iam inde magnus, vnde eſſe vix cœperat.
Sylueſcere metuens ſeceſsit in ſyluas
Exuturus inter feras
Si quid ferinum induerat inter homines.

Alie.

Alienis clarus in oculis, obſcurus in ſuis,
Vrbes dum fugeret, Vrbes in Eremum attraxit:
In hoc vnò cum virtute rixatus,
Quod latebras impediret.
Se vnò dolente reuocatus in Patriam,
Non minus in dicendo, quam in agendo diſertus,
Neſcias an plures virtuti dederit,
An reddiderit.
Se felicem non reputans,
Niſi cùm miſerorum cauſas aſſumeret,
Facundum, niſi cùm vinceret,
Nullius aurum appetens
Omnium animos acquiſiuit.
Collatas à Bizantijs Infulas
Ideò accipiens, quia recuſare non poterat,
Vtilior eſſe ſtuduit, quàm videri.
Sibi vni durus, quò mitior eſſet in cæteros,
Salutisomnium memor, dum non immemor ſui,
Securitatem quam daret alijs rapuit ſibi.
Sed monſtrum erat
Si tanta virtus inuidis caruiſſet.
Qui perditos nec tolerare poterat,
Nec corrigere,
Quia eorum non incurrit in mores,
Incurrit in odia;
Ideo hoſtis habitus, quia diſsimilis.
Semel atque iterum
A barbaris pulſus ad barbaros,
Quòd tantum hominem vrbs vna non caperet,
Plura ferre cupiens, quam hoſtis inferre,
Veram Patriam,
Cùm in exilium properaret, inuenit.
Vir in omnibus aureus,
Niſi quod auaris placere non potuit.

Digitized by Google

ELOGIVM.

Gregorius Octauum in orbe miraculum,
Omnia in ſe vno miracula copulauit.
Sub frigido Cælo natus,
Vt illud ipſum incenderet,
Origene præceptore dignus auditor,
Eum æquauit ingenio, meritis vicit.
Accuſatus ab inuidis,
Se prodigio, non voce defendit;
Magis mirandus quod vlciſci ſe nollet,
Quàm quod poſſet.
Ex Ægypto regreſſus in Patriam,
Peculiarem domum habere nolens,
Vt omnes haberet,
Cùm nihil amaret in mundo, poſſedit omnia.
Ita imperans ſibi,
Vt imperare mereretur & Dæmoni,
Vt nutantem firmaret,
Scopulos per inane circumagens,
Difficilius moueri ſæpe mentes,
Quam montes expertus.
Quidquid optare potuerat,
Viſus eſt impetraſſe.
Commune factus Oraculum
Oraculis vocem ademit,
Solus dignus audiri,
Qui prodigia æquè loqueretur, ac faceret.
Quid poſſet in mundo Gregorius,
Ideo mundus credidit, quia vidit;
Multa tamen cum fecerit admiranda,
Nihil ſe ipſo mirabilius facere potuit.
Monſtrum omnium maximum.

Vt

Digitized by Google

Vt in tanta diuinitate
Tanta copularetur humanitas
Omnes cùm vellet optimos
Se voluit omnibus meliorem:
Ita ſibi vacans, ac ſi cæteros neglexiſſet,
Ita alijs, ac ſi ſe ipſe negligeret:
Suorum virtute iam notus, notior ſuâ,
Cùm vix ſanctius viuere poſſet,
Diutiùs viuere noluit:
Nunquam mortalis creditus,
Niſi cùm re ipſa viſus eſt mori.

Baſilij Magni

ELOGIVM.

Baſilius Magnus
Eruditorum Optimus,
Optimorum eruditiſſimus,
Cùm fuerit in nullo non maximus,
Dubites in quo maior eſse potuerit,
Sanctiſſimorum Parentum ſanctiſſimus filius,
In ſe perficiens quòd cœptum erat in ſuis,
Maiorem probitatem
Maiorem eſse potuiſse probauit.
Nequitiam execratus antequam noſset,
Virtuti ſuæ collactaneus, & coæuus
Neſcias an eam ex inſtitutione traxerit,
An ex vtero
Diſciplinas aptus ad omnes,
Propenſus ad ſingulas,
Humaniores artes in ſe diuinas effecit,
Diuinas verò humanioribus perfici poſse
Probauit.
Nazianzeno cariſsimus, quia ſimillimus,

Se ipſum in ſe deſpiciens, in amico ſuſpexit.
Virtutes ita colens ſingulas,
Ac ſi non appeteret vniuerſas;
Extra Patriam diu, extra ſe nunquam,
Præceptores ſuos melioribus imbuit artibus,
Quàm fuerat, ab ipſis imbutus.
Magis aſſentantium laudes,
Quàm inuidorum calumnias fugiens,
Extra omnium oculos, ita ſe omnium oculis
Dignum effecit,
Vt non deterius Monachi normam expreſſerit,
Quàm Epiſcopi.
Virtutem non ideo adimens ſibi,
Quod daret alijs,
Se ipſum perficiendo, perfecit & cæteros.
Ad ſuadendum idoneus,
Qui quæ diſceret,
Suis probare poſſet exemplis.
Diuitias negligens
Niſi quas erogaret in Pauperes,
Omnium ſe Patrem fecit, & ſeruum,
Pluris æſtimans veritatem
Quam Principum gratiam
Illius dignitatem defendit acriùs,
Quàm alij ſuam.
Quò propiùs ad metam acceſſerat,
Eò alacriùs curſum intendens,
Vigilijs ſuis ſopitos excitans,
Ieiunijs famelicos paſcens
Cùm nec amaret viuere,
Nec timeret obire,
Hominum effugit ex oculis,
Non effugit ex animis.
Felix, cuius in vita nihil arguere valeas,
Nihil in doctrina damnare.

Gre-

Gregorij Nazianzeni

ELOGIVM.

Gregorium Nazianzenum
Parentum pietas mundo promeruit,
Dei beneficentia dedit.
Ita natus eſt, vt degenerare ſi nollet,
Malus eſſe non poſset,
Ita vixit;
Vt imitari qui vellet, peccare nequiret.
Inter optimos educatus ad optima,
Se peſsimum reputans
Quoties non faceret meliorem.
Adultum virtutem
Antequam polliceretur exhibuit,
Bonarum artium auidus, malarum incapax;
Vt Mineruam raperet, Athenas profectus,
Ita eam coluit, vt mereretur habere,
Ita habuit, vt à nullo dedignaretur accipere.
Baſilio magno ſtudijs, & animo ſuppar,
Iulianum odit, etiam cùm videretur amandus
Ita de moribus iudicans alienis,
Vt non officeret ſuis.
Nullius renuens eſſe diſcipulus,
Omnium ingenia collegit in ſuo,
Docere nunquam deſinens,
Seu diceret, ſeu audiret.
Æquè bene dicendi,
Ac bene viuendi arte conſpicuus.
Quo ſe melius agnoſceret, cupiens ignorari,
Quam nunquam amiſerat innocentiam
In Eremo quæſiuit.
Vocante tamen Patre, cogentibus meritis
Tractus ad inſulas.
Neſcias an laudabilius oblatas reiecerit,

An acceperit?
Alienis facundus in laudibus, mutus in ſuis.
Plura in ſe continens
Quàm laudaret in cæteris,
Quos eleganter verbis expreſſerat;
Expreſſit & factis,
Nequitiam in Plebe corrigens,
Omnia cùm ſciret fingere neſcius;
Se ad omnium normam effingens,
Poetam egit:
Non ideo minus vtilis,
Quod magis videretur amænus.
Prodeſse cùm vellet omnibus,
Nulli verò præeſse, quàm ſibi,
Vrbes deſerere maluit,
Quam inuidorum turbis implere,
Cùm iam ſui vnius vellet eſse colonus,
Seceſsit in Campos,
Inde etiam & formidatus ab impijs, & fugatus
Debitam meritis ſedem
Cùm non haberet in terris, inuenit in Cælo,
Æquè expetitus cùm eſse deſineret,
Ac fuerat antequàm eſset.

Dioniſij Areopagitæ

ELOGIVM.

Dioniſius ex Areopagi Iudicibus
Selectus pro veritatis cauſa Patronus;
Neſcias an æquiùs gloriari potuerit
Paulo Præceptore diſcipulus,
An tali, tantòque diſcipulo Præceptor;
Æquè aſtris intentus, ac ſibi,
Virtutem, quam poſtremis in annis exhibuit,
Pro-

Promiſit in primis
Athenarum factus Antiſtes
Malas inde artes eijciens meliores induxit.
Optimi cuiuſque
Æmulator egregius, & laudator,
Cum vellet à nullo dignoſci,
Nullum ſtuduit ignorare,
Romam profectus
Tantæ vrbis titulus addidit,
Quod tantum hoſpitem excepiſſet,
Inde profectus in Gallias
Immenſam vrbem vrbe maior impleuit.
Ita in diuina delatus,
Vt ablatus crederetur humanis;
Mercedem nullam appetens nulla non dignus.
Deuota Cælo victima
Sacerdotum gladijs exhibetur,
Et feris obiectus, & flammis
Se vtriſque fortiorem oſtendit.
Varijs tentatus ſupplicijs,
Cùm nullum mereretur, nullum exhorruit.
Tandem fremente Tyranno,
Plaudente Cælo,
Elatus in montem
Ne tantæ laterent faces,
Ceruice non animo diminutus, edocuit,
Virtuti vitam non eripi, niſi velit amittere.
Diuiniſſimum caput in terras deprimi nolens,
Cùm iam in Cœlo non eſſet,
Eſſe cœpit in manibus:
Perire neſciens,
Quod tam bene viuere didiciſſet.
Beata Gallia,
Quæ Præceptorem habere merueris,
Qui diuina æquè docere potuerit, ac patrare.

Digitized by Google

Clementis Ancyrani

ELOGIVM.

Clemente Ancyrano
Nullum virtus defendit æquiùs,
Nullum exercuit duriùs.
A Sophia Matre
Sanctiori Philoſophiæ genitus,
Quandoquidem à deteriori vtero
Venire non poterat tanta Conſtantia,
Nulla in ſe admittens peccata.
Omnia puniens,
Martyr videri potuit antequam eſſet.
Nondum adoleſcens,
Iam tamen Pauperum Pater,
Omnibus melior, omnibus præfici meruit,
Nunquam demiſſior cæteris
Niſi cùm eſſe potuiſſet elatior.
Diocletiani furijs interceptus,
Octauum ſupra vigeſimum annum
Exegit in pœnis,
Agente Deo,
Vt quando erat in mundo feritas,
Quæ omnia infligeret mala,
Eſſet, & charitas, quæ omnia toleraret.
Sæpe in fruſta conciſus, nunquam non integer,
Cùm per nulla vulnera
Nimium ingens animus poſſet exire
Tandem ſuis redditus,
Dum hoſtiam Deo daret,
Dei hoſtia factus,
Gemina victima
Sacrificium vnà cum vita concluſit.

Bla-

Blaſii Sebaſtenſi

ELOGIVM.

Blaſium nemo vidit in terris
Quin eruditum putarit in Cælo;
Virtutem cum lacte imbibens,
Cum ætate corroborans
Fecit incertum,
An in eo differret à Virtute Natura.
Epiſcopum agens antequam fieret,
Qualis eſſet futurus,
Edocuit antequam eſſet.
Ex Vrbe, quam ſibi ſimilem fecerat
Digreſſus in ſyluas,
Vt ampliaret animum arctatus in ſpecu,
Quadam quaſi Diuinitate ſua,
Feras effecit humanas
Felix, ſi quàm à feris expulerat
Feritatem,
Geminatam in hominibus non vidiſſet.
A Venatoribus interceptus
Dum cæleſtia venaretur,
Vocatus ad ſupplicia;
Ea ſecuritate perrexit,
Vt illa ſe in ſyluis non effugiſſe,
Sed expectaſſe doceret.
In aquis non ſecus ac in marmore
Ambulans,
Cùm vitam ſuam
Prodigijs tueri poſſet.
Maiori prodigio tradidit,
Quàm antè ſeruaſſet;

Digitized by Google

ELOGIVM.

Ioannes natus in Cypro,
Educatus in Cælo,
Futurus Dei Quæſtos in terris
Debitum innatæ largitati Patrimonium
Cùm naſceretur accepit.
Digna ſenio iuuentute tranſactà,
Sublimitatem ingenij, claritatem virtutis
Exuere nolens, tegere neſciens;
Quod eſſe minimum vellet, eſſe coactus,
Ita Alexandrinos excoluit,
Vt ſibi ſimiles faceret,
Ita beauit,
Vt ſe conſcio neminem gemere,
Neminem egere permitteret.
Plura ſemper appetens, quo plura daret;
Id vnum habere ſe reputans,
Quod effudiſſet,
Cùm omnium augeret ærarium,
Nunquam tamen imminuit ſuum.
Ita profuſus in homines.
Vt auarus non eſſet in Deum:
Cùm hominibus dediſſet omnia,
Vitam dedit & Deo,
Suis futurus vtilior
Si ſui tenacior extitiſſet.

Igna

Ignatij Antiocheni

ELOGIVM.

Ignatius Antiochenus
Dignus Ioanne Præceptore diſcipulus;
Quem vincere non ſperauerat,
Æquare ſtuduit,
Animo, quam tempore Chriſto propinquior;
Ita eum expreſſit, vt ſe vidiſſe probaret.
Antiochiam ſudoribus alluens,
Flammis incendens,
Viuere neſciens niſi vitam omnium tueretur,
Splendoribus ſuis Tyranno proditus,
Ventilari potuit, non extingui.
Vt Leonibus Leonem obijceret
Romam vocatus,
Non ſecus ac ad alterius ſupplicium
Properauit ad ſuum.
Illius panis eſſe percupiens
Qui ſe panem fecerat omnium,
Intimo nimis ab igne concoctus,
Beſtiarum dentibus frangi voluit.
Qui homines in Deum incenderat,
Feras in ſe ipſum incendens,
Nunquam ſecurior, quàm cum periret,
Mortem metuere neſciens,
Prouocare non metuens
Non in ſolio capitolio
Triumphari Romæ poſſe probauit.

Petri

Digitized by Google

Petri Alexandrini

ELOGIVM.

Petri Alexandrini, Vitam,
Non ideo deteriorem putes,
Quod fuerit ignotior morte;
Pretioſam enim mortem
Non niſi vitæ meritis emit.
Eo ſæculo natus
In quo ſi miſer eſſe nollet,
Probus eſſe non poſſet,
Ita aſſueuit ærumnis,
Vt eas etiam adamaret.
Optimo Antiſtiti ſuffectus melior,
Vt Diocletiani furijs
Parem Ægyptus obijceret Ducem,
Ita deſudauit in ſuorum roboranda
Conſtantia,
Vt etiam ſine Tyranni gladio
Glorioſè poſſet obire.
Ita intimus Chriſto,
Vt eius etiam arcana cognoſceret,
Eius tunicam lacerantem Arium
Vſque adeo eſt deteſtatus,
Vt ſe nequiorem Ario crederet,
Si Ario pepercisset.
Carceri mancipatus ſe talem exhibuit,
Quales ſuos eſſe voluerat.
Tandem eo felicitatis genere felix;
Quod infelicior esse vix posset,
Ereptus ſupplicijs, euolauit in Cælum.

Poly-

Digitized by Google

Polycarpi Smirnenſis

ELOGIVM.

Polycarpus Smyrnenſium Præceptor,
Et parens,
Patria, non moribus Aſiaticus,
Etiam in Aſia fortes
Naſci, & ali poſſe probauit.
Chriſti diſcipulis ætate coæuus,
Munere ſuccedaneus,
Virtutis, quam collegit ex omnibus
Se fecit Epitomen.
In hoc mirandus,
Quod ita omnes vnus expreſserit,
Vt dum viueret
Eorum neminem obiſse putares;
In hoc amandus
Quod ſe diſſimularet eſse, quod erat,
Ingenio virtutem illuſtrans,
Ingeniumque virtute,
Perditos nouatores
Moribus damnauit antiquis.
Suam tueri non valens,
Suorum incolumitatem
Negligere neſciens,
Tyrannum non metuens,
Niſi cum mitior videretur,
Vitam ſuam moriens
Clariorem fecit in flamma.

Epi-

Digitized by Google

ELOGIVM.

Epiphanius vrbium bono
Natus in ſyluis.
Pecudum Paſtor cùm eſſet,
Paſtor eſſe meruit Populorum.
Cum deteriori fortuna
Deteriorem exuens ſectam,
Ex Iudæo & Christianus, & Monachus,
Qualis eſſe deberet inter homines,
Didicit inter feras.
Diu peregrinatus,
Vt Chriſti Patriam veneraretur, & ſuam,
Dum fugeret inſulas delatus in Inſulam,
Fruſtrà quærere latebras,
Quem Deus latere nolit, edidicit.
A Conſtantienſibus deſtinatus Antiſtes
Antequam cognitus,
Se talem exhibuit,
Qualem eum eſſe decebat,
Quem Deus, non homines elegiſſent.
Illis placere neſciens
Quibus nec in omnibus placeret Deus.
Iniurias beneficijs vltus edocuit,
Non plura ſe potuiſſe patrare, quàm pati.
Tandem annorum numerum
Exæquans meritis,
Multiplici tempeſtate iactatus
Defecit in Mari.

ALE-

ALEXANDRI BERTII

Deo, & Deiparæ acceptiſſimi Adoleſcentis,
Florentini Patritij.

Societatis Ieſu Candidati.

VITA, ET ELOGIVM.

I.

Siſto tibi, Lector, Gigantem, Puerum,
Qui è Violante Matre Violentus irruptor,
Sancta, & felici temeritate
In expugnationem Empyrei coniurauit.
Nec contemne titulum Pueri.
Omnis in Alexandris, ætas eſt adulta virtutis
Eludunt Parcarum inuidiam
Redundantia meritorum.
Audieris magna de Magno.
Leges maiora de Paruo.
Scribimus, quæ ſpectata Florentiæ
Non quæ Romæ diſcuſſa;
Atque ita fidem aliam non exigimus,
Niſi quam damus.

II.

Effætum ſeculum,
Annum iam agens nonageſimum tertium
Sterile vtique perire debuerat,
Non igitur, niſi vt prodigià pareret,
Fæcundum fuit.
Edidit in vno Alexandro Bertio
Nec pauca, nec contemnenda,

Plu-

Pueritiam ſenilem, pudicam pulchritudinem,
Amænitatem ſeueram, robuſtam facilitatem
Aloyſium Gonzagam, biennio ante ſublatum,
Ne tam rara in adoleſcentibus exempla
Perirent;
Reddere Prouidentia feſtinauit.
Suſpicax Pythagoræus Alexandri ortum,
Metempſicoſim diceret Aloyſij.
Adeo vtriuſq; & amores, & mores,
Non tam fuerunt ſimiles, quam ijdem.

III.

Sine floribus numquam Florentia eſt,
Apud quam, è Violis Lilia
Etiam in Autumno naſcuntur,
Ephebum honorarium Mariæ
Traxiſſe in eam credas ab origine genium:
Cum communem pene cum illa,
Et conceptionis diem habuerit, & Natalis
Præiuit Phoſphorus Soli,
Quem ſecutus mox eſt,
Defuturus Horoſcopo ſuo,
Quoties promiſsam in illo Animam
Non dediſset.
Emicuere progreſsus vel in initijs.
Caſtiſsimus,
Non niſi Cælum regente Virgine
Beneficium Lucis admiſit.

IV.

Prænouiſse ſuſpiceris Violantis viſcera
Theſaurum ſuum.
Quem non niſi diris coacta torminibus
Publici iuris fecerunt;
Eme-

Emere à Deo viſa eſt Bertia Domus
Omnium pene rerum diſpendio,
Animam pretioſam.
Pro tali filio ipſum dedit, & Patrem,
Fluxas vix ſentiens.
In Nicolao perire diuitias,
Cum in Alexandro lucraretur æternas,
Ita non defuit Poſthumo
Iuſtiſsima cauſa naſcendi
Dum à beneficijs in vtrumque parentem
Vitam pijſsimam auſpicatus,
Genitrici Viduæ
Opportunum ſolamen aduenit,
Et genitoris ſepulti adaugens merita
Dum implet, quæ ediderat de ſe vaticinia
Talis agnitus, qualis ab eo ante deſcriptus.

V.

Ne qua pretioſæ vitæ portio
Sacra non eſset
Totam illico grata puerpera dedicauit.
Adoptiuum ſuum Chriſtus
Se parente ad meliorem vitam renatum,
Vt Cæli moribus aſsueſceret,
Dedit alendum Mariæ.
Deſcendit Prouida mater familias
Curare rem filij, tamquam ſuam;
Et operoſiſſimam Maieſtatem
Vſq; ad Hortuli huius culturam abijciens,
Viſa eſt in eum ſepe flores deferre.
In Agro felici
Profecerunt flores in fructus,
Quibus, & potuit illa ſe paſcere
Et culturæ ſocios coronare.

Proh

V I.

Proh quam bene conſenſerunt
Primæ Inſantis voces cum vltimis.
Ante Ieſum, & Mariam
Illi nullum eloquium:
Poſt hæc ipſa nomina illi omne ſilentium.
Tantillus puer, & iam tantus amator,
Gauiſus in Virginis Filio,
Sibi genitum fratrem
Suas ſtatuit in illius vnius amore
Delicias.
Correxit auaritiam Naturæ
Liberalior Gratia;
Dedit hæc fratrem,
Quem illa negauerat:
Seu quod exhorruiſſet offerre
Deteriorem,
Seu quòd meliorem ſingere
Deſperaſſet.

V I I.

Bonas artes ante quam diſceret,
Iam intentus exercere meliores,
Vix ablatus ab vberibus Matris,
Ad vulnera Chriſti Patris accurrit.
Suxit inde crebra per oſcula
Liquidam Diuinitatem,
Quà æternam adipatus ad vitam
Non niſi diuina mox eructauit
Eloquia.

AII.

VIII.

Animoſus ſub Crucis vexillo Tirunculus
Cilicio Clamydandus
Rudia retia in dolorum venationem
Aſſumens
Expertus horrori nominis
Rem non reſpondere molliorem,
Increpuit in deceptionis agnitione
Mite nimis in genium
Quod artes nocendi ſibi,
Niſi ab alijs doceretur, neſciret.
Ita bellaces animæ
Intentant animas hoſtibus
Cum damna non poſſunt.
Nunquam ſe ratæ viuere,
Niſi cum contingerit vincere.

I X.

Studuiſſe Cœlites credas
A tanta modeſtia diſcere
Quales deberent mores exprimere,
Si quando, Laruam hominis induiſſent.
Stetere circa illum aſſidui
Stipatores Lateris.
Excubitores Cubilis,
Tam ſollicita prodentes cuſtodia
Quales Deus theſauros
Abdidiſſet in Puero,
Circa quem
Tam multi Cæli Proceres vigilarent.

X.

Sufficerit hactenus
Vnus ſingulis, è Cælo Cuſtos;
In Sæculo nequam periclitanti pulchritudini
Eſt adiunctus ſecundus.
Inde inter Duos Angelos
Medius viſus incedere,
Quorum vnum deberet Prouidentiæ,
Alterum auxiliarem Mariæ.
Fuit hæc plane omnia Clienti ſuo,
Diſcenti, Magiſtra,
Egroto medicina, mortuo vita,
Studijs vacanti ſæpe Librum aperuit,
Semper Ingenium.
Ne quod venenum
Malè fidis hauriret à paginis
Eas prior ipſa percurrens
Contactu ſuo fecit innoxias,
Atque ita dignus
Tanta inſtitutione diſcipulus
Vtili, & non erubeſcenda ignorantia,
Vitiorum non ſolum res
Sed & nomina ipſa neſciuit.

XI.

Quid Alexandro non crederet,
Quæ credidit illi etiam paruulum Deum?
Inuenerat ita fidelem in minimis,
Vt eum etiam in maximis
Credere talem poſſet.
Luſere Pueri ſeriam charitatem,
Acceperunt, & dederunt
Quæ non amitterent, cùm dediſſent;
Adeò

Adeò vt, nec iam poſſet Alexander
Niſi Ieſu ſocius viuere,
Nec iam vellet Ieſus in Cælo
Sine Alexandro regnare.

XII.

Societatem igitur Ieſu
Studiorum ſuorum nutricem
Cum iam diligeret ſupra Matrem;
Huic paratus vale dicere,
Vt illi adhæreret.
Accendit in ſe deſideria,
Quæ vel ſe extincto
Adhuc inextincta fulſerunt.
Ita attendens quam iuſta vellet,
Vt obliuiſceretur inquirere.
An & tam ardua poſſet,
Subiratus eſt annis ſuis,
Qui vel cum tanta pernicitate ruentes;
Adhuc concitatiſſima ſua vota tardarent.

XIII.

Condonauit acerbitatem ætati
Matura patientiæ virtus,
Abolitura tamen obiectam infamiam,
Inoccíduum ſtatuit ad Solem accedere,
Illius iam dignus conuiuio,
Cuius nondum erat aptus obſequio.
Se tota in Chriſto Cæli pinguedine
Vt citius adoleſceret, ſaginauit.
Deum igneum eſſe
Liquatæ ad illius contactum niues probarunt.
Vt hoſpiti Maieſtati

Laxiorem cederet locum;
Cor adamantinum ad vitia,
Cereum ad virtutes
Solutum in lacrymas per oculos exijt;
Ita viuit aquis ille ignis.
Quem Deus vult
In homine tam vehementer accendi.

XIV.

Obtulit, & has Purificata Virgo primitias;
Iam non curauit par Turturum,
Aut duos pullos columbarum,
Quæ talem pro filio
Ad aram ſiſtere Agnum poſſet.
Fuere hæc eo anno Bacchanalia Bertio;
In quibus tuto ſe
Per honeſtam Licentiam hilarauit
Tunc plane perſonatum
Se negare non potuit,
Cum ſibi ſuperinduens Deum
Ita ipſe cæperit viuere, & non ipſe;

XV.

Hyemauit
In tam bono Diuerſorio Chriſtus
Nullo inde illum pellente contrario.
Ibi nundinator Pulchritudinis ſuæ
Pene totam expoſuit.
Micuit Dei penicillus
In humaniſsima facie
Quæ amatoriam induceret extaſim
Admiratoribus ſuis;
Nunquàm ſpectabilior,

Quam

Quam cum erubeſceret ſpectatorem,
Vix crederetur aut naſci, aut fingi
Autore ſuo dignior, potuiſſe.
Nimirum illibatus animi candor
Corpus ipſum imbuerat,
Et concoleres Innocentiæ genas
Ignea è corde Charitas miniabat.

XVI.

Quàm additus Pietatis delicijs,
Tam intentus patientiæ lucris;
Coactus ſæpe nolle, quæ vellet
Gaudebat innocens noxiorum remedijs,
Sciens non aliter quam per infortunia
Fortunari hominem,
Atque ita in pænis
Appetenda omnia præter culpas.
Nubilum Præceptorem, & tonantem Ancillam,
Illæſa ſerenitate pacatus excipiens
Credi potuit Altitudine mentis
Olympum excedere;
Matri ideo debens omnia,
Quod affectus ſeueritate
Iam non ſibi Mater, ſed Pater eſſet.
Simulantem iras
Ita vero dolore placauit
Vt occaſionem obiurgationis,
Nouam ſemper faceret cauſam
Amoris.

XVII.

Sodales hilaritate alliciens,
Maieſtate componens,

Vel inter puerilis nugas
Magiſteria virtutis exercuit,
Parato ſemper ad preces,
Templa ne deeſſet
Ara multiplici
Totam conſecrans Domum;
Sine caractere, non item ſine pietate
Sacerdos,
Ludicras victimas vera religione mactauit;
Vi memoriæ roborans acumen ingenij.
Inter primos muſarum cultores
Nunquam ſecundus
Parauerat pingue viaticum ſenectuti,
Niſi, qui etiam iam vixerat
Loco plane non ſuo,
Putaſſet vtilius,
A mortis experientia diſcere,
Quod nulla poſſet vitæ diuturnitas
Recte Docere

XVIII.

Fatale adhuc Agnis Paſchale tempus
Noſtrum hunc
Se Dei per amæna paſcentem,
Arcanis ignibus ſacrifice Charitatis aſſauit.
Aperuit Alexandro Cœlum Aprilis,
Prodiditq; eum non eſſe florem è terra,
Qui quo menſe cæteri oriuntur, obiret.
Vni dumtaxat corpori ſuo
Non innocens Animus
Vehementiore conatu venas infringens,
Dedit ſanguini libertatem,
Quam eo dimiſſo, lucraretur, & ſibi.
Laxato Carcere
Cogitauit illico fugam captiuus.

Aſſe-

Aſſectiones, quas nondum ſparſerat,
Facile colligens
Omnes vno agmine præire ſe iuſſit ad Deum?

XIX.

Ita decumbens vt ſemper ſtaret,
In profectionis horam erectus
Contra malignitatem itineris
Salutari ſe Viatico muniens
Prudentes tunc quoque Virgines æmulatus
In ornamentum lampadis ſuæ,
Sumpſit, & ipſe oleum ſecum.
Vnctum laceſsere Pugilem
Tartareus Antagoniſta non timuit.
Armatus in illum larua truculentiore
Solo vincere aſpectu crediderat.
At non eras is Puer,
Quem laruæ terrerent.
Riſit audaciam tenebrionis,
Qui ſe tot aſtantibus ſibi Cœlitibus
Miſcuiſset.
Addidit nouum titulum triumpho ſuo;
Coegit plaudere
Iam non inexploratæ virtuti,
Quam, vt poſset credere,
Videre debuiſset,
Ad miratorem dimittens
Quem acceperat oppugnatorem

XX.

Effudit ſe in ægroti cubiculum
Totum Cælum,
Audire proprius appetens diuina promentem;

Et expectare impatiens
Humana liquentem.
Candidatus æternitatis
Oblitus dolores ſuos
Totus abijt in amores.
Coronariæ certantium epinicia cecinit;
Et nihil iam niſi gaudia Lacrymatus,
Miſereri volentes compulit inuidiam.
Vidit, & ipſe moriturus arcana,
Quæ quia loqui non licebat, obmutuit.

XXI.

Qua hora exacto iam die,
Merces redditur operarijs,
Eadem & ipſe
A liberaliſsimo muneratore vocatus,
Queri non potuit,
Quod alijs minus aliquid accepiſſet;
Cum vltima veſpertina ſalus
Diceretur Mariæ
Hanc illi rite victimam immolauit
Ære campano monente
Adorabunda Florentia.
Ita qui tempus omne
Mariæ cultui tribuerat.
Non niſi in tempore Mariæ ſacro
Potuit mori.
Vita breuis vt fuerit,
Adhuc gemino Sæculo
Ornando ſuffecit,
Cum deſinente incipiens,
Cum incipiente deſinens
Pretioſum dedit vnicuiq; ſeptennium.
Contentus diutiùs viuere,
Si ſanctius viuere potuiſſet.

Hæ-

Digitized by Google

XXII.

Hæredem tranquillitatis ſuæ
Matrem relinquens
Nullas illi adeſſe paſſus eſt lacrymas,
Quibus triumphi ſui hilaritatem fædaret,
Indecorum putauit
Prudentiſsima fæmina
Non congaudere gaudenti.
Partes ſuas duxit laudare Deum,
Non filium gemere iam felicem.
Videri ſibi pulchrius Cælum cæpit
Quod hoc ſe nouo iam imitaret illicio.
Et Lætiſsima quod talem habuiſſet,
Triſtari neſcijt, quod talem amitteret.

XXIII.

Impleuerant Vrbem,
Spectata in moriente prodigia
Magis impleuunt
De mortuo vulgata præconia.
Pompa funeris viſa eſt,
Transferre magis ſacra Lipſana,
Quam tunc primum efferre.
Nouę huius in templo Ioannis
Apocalypſeos,
Auidus ſpectator populus
Omnis accurrit,
Et abuſus patientia mortui,
Pia plane rapina,
Id illi pene ſolum reliquit,
Quod auferre ſine illo non potuit.
Periclitanti ſuos inter honores
Cadaueri

Opportunas allaturi ſuppetias
Socij Ieſu,
Dum ſubductum è Templo
Committunt ſacrario,
Reuixit in pallida facie,
Mortua pulchritudo.
Fuerit hæc exultatio
Nunquam interituræ Modeſtiæ,
Quæ vel plaudentium inimica turbarum
Ab ijs libera arriſerit ſolitudini ſuæ.
Seu gratulatus ſibi ſit Alexander,
Quod eas in ædes
Admitteretur vel mortuus,
Quas toties anhelauerat viuus,
Statim ac adfui.
Accitus cum coloribus Pictor;
Vultus, qui pingendus erat,
Euanuit.
Fucis adhuc inimicus,
Ab ijs nolens famæ præſidium
Nunquam moriturus in poſterorum animis;
Viuere neglexit in telis.

XXIV.

Erubeſce prouidentiam pueri
Senectus improuida:
Mariæ Diſcipulum in magiſtrum aſſume;
Laus & tibi aliqua occupanda eſt.
Cœperit ille bene; tu deſine.

Digitized by Google

AMORI LVCENSIVM CRVCIFIXO

Tributum.

Sta, Viator, & tu iuxta Crucem;
In qua poſt Reſurrectionem ſuam
Adhuc moritur Chriſtus.
Aſpice, & tu, ſi aſpiceris,
Et facundo perorantem intuitu
Viuam exanimis Dei Maieſtatem
Attende.
Regnare neſciens niſi in cruce
Rex noſter,
Quia ſemel à Nicodemo
Fuerat è cruce depoſitus
A Nicodemo exegit hic iterum
Citra piaculum crucifigi.
At Chriſti caput, quia Deus eſt,
Cum ars humana deſperaret exprimere,
Impatiens expectare
Inutilem diligentiam fabri
Vltro deſcendit in exemplar
Prototypus.
Sylua, quæ dederat
Tam pio materiam operi.
Similitudine formæ decepta,
Vberes ſtillauit in fletus:
Ac ſi re ipſa Dei filium
Iterum in crucem actum vidiſſet.
Nouum cælo irritamentum doloris
Alia veritus Solis, Lunæque deliquia
Tegere pius artifex ſtuduit cælo.
Coactus iterum Chriſtus
In cor terræ deſcendere,
Donec eum inde

Pia ſubalpini præſulis furta repeterent.
Concipit inter vmbras degeneres
Deſiderium lucis, & Lucæ:
Ereptus antro, fiditur pelago.
Atque ita per mare inferum
Tot ſuperum theſauris ſaburrata carina
Lunæ portus ingreditur.
Qui videri potuerat quæſiſſe Lunenſes,
Quæſitus à Lunenſibus retroceſsit.
Amicus coſtantiæ
Vrbem, quæ vt luna mutanda eſſet,
Exhorruit,
Atque ita oppoſitus lunæ ſol noſter
Extremam illi prænuntiauit eclypſim.
Primogenitis fidei ſuæ
Hanc hæreditatem adiudicauit,
Lucenſium beauit deſideria,
Dum impleret & ſua.
Ne dici poſſet inuitus veniſſe
Quo bonum miniſterio tractus eſſet,
Relicto ſuburbio,
Nullo iam deducente, Vrbem ingreſſus,
Martini beneficentiæ conſcius
Eius in ædem
Seminudus hoſpes ſe recipit
Iam non dimidia,
Sed Tota clamyde veſtiendus.
Qui Hieroſolymam
Iudæorum odio deſeruerat
Quam magis vrbem eligeret
Quam iudæis ſupra cæteras inimicam
In quam diſcedens iјs poſſet iterum dicere,
Quo ego vado vos non poteſtis venire.
Poteſtatem habeas
Ponendi animam ſuam,

Et

Digitized by Google

Et iterum ſumendi illam,
Cruci iam non alijs,
Quam charitatis vinculis alligatus
Clauos in manibus, pedibuſque
Non tolerat.
Nec quia conuerſus ſemper
Ad ianua eſt.
Ideo fugam aliquam meditatur,
Huc vt veniret,
Nulla illum coegit neceſſitas,
Hinc vt recedat
Nulla illum hoſpitij ſui pellit indignitas.
Impatiens expectare
In ſummo templi ſupplices ſuos.
Ad omnem & ipſe Lucenſium vrbanitatem
Compoſitus
Expanſis, & liberis
Ad omne obſequium manibus,
Centrum miſerationum
Templo occurrit in medio
Sunt & in hoc Chriſto theſauri abſconditi.
Quidni igitur in eorum cuſtodiam
Apertis ſemper vigilet oculis?
Videns ciuitatem non flendam
Auocare ſe ab aſpectu ſibi iucundiſſimo,
Vel ſi poſsit, non vult.
Ditiſsimus in omnes qui inuocant illum,
Argenteos etiam nolentibus calceos dat.
Nunquam aurum toleraturus in capite,
Niſi illud etiam pede calcaret.
Beata ciuitas,
Cuius deſiderio relicta Hieroſolyma
Tam longam Chriſtus ipſe
Peregrinationem ſuſcepit.
Filios tenebrarum, Luca ne tolera,

Et

Et à Patre luminum
Tot itineribus quæſita ne fuge?
Excubitori libertatis tuæ
Tota eſto tributum,
Illo vigilante
Securus tibi omnis eſt ſomnus,
Perge hunc vnum pati
Sub ſolio regem,
Cuius vnius regnum
Libertatem non perimit, ſed perennat?
Lapis angularis
Inſenſum & tibi ferrum retundet,
Cum inoxios tueri poſſit à tyrannide,
Qui potuit & à carnifice.
In amore tuo
Pupillas cordium venatrices attende,
Non vno inde iaculo ſauciata,
Argum, quo cingitur
Intelliges ſine telo non eſſe.

LVCENSIVM PIETATI PRO DEIPARÆ IMAGINE Olim ab Aleatore perditiſſimo ſauciata SOLATIVM.

Affixa ſupponitur hæc inſcriptio Lucæ in ſacello B. Virginis à Saxo dictæ, vbi profundiſſimus adhuc extat hiatus deſcenſuro vix patens homini, quo merſus olim perditiſſimus Aleator dum ipſiuſmet iacturam induſij aduerſo ſibi imputans Chriſto, eumdem Vrbis in muro pictum iacto contriuerat ſaxo, niſi Deipara à dextera in læuam Filium transferens excepiſſet pro eo vulnus, quod etiam dato ſanguine propalauit.

Lucenſium Terra,
Vt quædam cæli pars eſt,
Luciferi alterius perduellione
Grauata dehiſcit,
Et ſcelera maleuis deglutire,
Quàm regere,
Vbi vni ad Inferos,
Multis ad Superos viam pandit.
Hiatum quid hunc exhorres,
Viator?
Nuſquam arctiorem
Videris ad Erebum ianuam;
Tam multi non intrarent per illam,
Niſi apud alios pateret ampliſſima,
Quæ apud Lucenſes auguſtiſsima eſt.
Periurus Aleator vna cum induſio

Hu-

Humanitatem omnem exutus,
Nudum Deum nudus laceſſit ad luctam,
Et VERBVM, quod verba non proſternerent
Adortus manu,
Duritiem ſuam omnem
Obuia iaculatur in ſaxo.
Vrbis ſibi commiſſæ muro
Filium Maria non patitur excubitorem perire;
Quem olim ſubduxerat
Herodis gladio Puerum,
Lædi ſaxo non vult,
Indignum reputans, ſi qui apud Lucenſes,
Vel ipſo Crucis viuebat in ligno,
Apud eoſdem ſpectaretur mortuus
Matris in gremio.
Omnem igitur miſerationem
In Læuam exonerans,
Dexteram expedit in vltionem,
Et ſe vnam vulneri aperiens
Illud è damno lucrum reportat,
Quod dato etiam pro Chriſto ſanguine
Vera Virgo Martyr iam eſt.
Periclitante iam non Dei ſolum Filio,
Sed & Matre,
Par fuit iterum ſcindi petras,
Et monumenta laxari.
Cœli ruentis iras
Impiata præuenit tellus,
Et quæ ſaxum miniſtrauerat culpæ,
Hiatum commodans pœnæ,
Seù hauſtura, non iam Abelis ſanguinem,
Sed Dei Matris,
Seù in tàm execrandam
Æternum declamatura proteruiam
Nunquam claudendum aperit guttur.

Abit

Digitized by Google

Abit in locum ſuum, non tam Deum fugiens,
Quàm ſe ipſum blaſphæmus,
Et igneo nudus balneo merſus iam diſcit
Patère Lucam, miſeris ad Aſylum,
Perditis ad Sepulcrum.
Fugite Vrbem,
In qua Chriſtus omni regnat in Solio.
Chriſti hoſtes,
Sola vos alibi Iura,
Hic ipſa etiam vos puniant elementa.

ANOTOMIA.

Vocaliſſimi, & ex igne clariſſimi Cordis R. P. Rocchi Gonzalez à Societ. Ieſu in Paraquaria occiſi à Barbaris.

Hoc quicunque Cor aſpicis
Audies etiam ſi attendas,
Vocale adhuc eſt;
Si non credis,
Cordis tui aures interroga.
Obſtructæ illæ ni ſunt,
Idioma natum in India
Percipies etiam Europæus,
Ignita Verba ſi ſenſeris
Ea ſcieris è Rogo venire.
Rocchi Gonzali Flammas,
Si aliunde non noſti,
Velim metiaris ex tuis.
Igneus hic è Dei ara Calculus,
Defæcandæ telluri translatus è Cælo
Cum incenderet omnia,
Barbarorum etiam in ſe iras accendit.
Cathechæſi cogendæ

Tim-

Timpanum parare prohibitus,
Illud primò pulſans cum vltimò viueret,
Pro timpano factus ipſe Vocalis.
Vel è cælo cæpit audiri.
Fractis ceruicibus integritate non leſa
In eodem templo Victima,
In quo ſteterat paulo antè Sacerdos,
Abſumptis incendio partibus,
Quæ infra cor ſunt
Ardere vltra non potuit.
Elementum videlicet
Quando iam in centrum deuenerat,
Agere vltra non debuit.
Maius ibi erat incendium,
Quam vt ab ignis ardoribus
Poſſet intendi
Indignari philoſophia potuit,
Si vidiſſet à ſimili ſimile paſſum eſſe.
Diuinus Amor
Aptiſſimum ſolidando Cordi venenum eſt.
Quid mirum igitur,
Si quod erat illo conditum,
Non ſecus ac illud Germanici,
Violentiæ ignis obſiſteret.
Idem tamen humaniſſimus Barbatis,
Qui Adamantinus flammis
Grauius ferens ereptam alijs Innocentiam,
Quàm animam ſibi,
Quò blandior eſſet oratio
Corde vſus interprete
Reduces ad ſe hoſtes
Inopinata beneuolentia terruit,
Nouo beneficio non placauit.
Ita eorum venatus gratiam, ac ſi læſiſſet,
Ita ſuam pollicitus,

Ac

Digitized by Google

Ac ſi metuiſſent,
Ex eo tantum, quod filios diceret,
Arguens Parricidas.
Indicauit apertiſſime, in Nece ſua,
Si ſcelus excipias,
Sibi omnia placuiſſe.
At qui viuentis contempſit merita,
Mortui facile neglexit eloquia.
Nouæ cordis Arteriæ irata Vecordia,
Inde radicem vocis, extraxit
Cæca, quæ non videret,
Adhuc manere ſupplicia,
Etiamſi qui ea prædiceret tolleretur.
Nouas igitur in deteſtationem ſceleris
Cordis fauces aperiens
Extrà flammas immedicabilius æſtuans,
Quam Vocis auctor in flamma,
Graueolentiam ſceleris ſui
Circumferre cæpit in manibus.
Probatum igne cor eſt, non abſumptum,
Quidni igitur Europam incendat.
Quod tot in America collegit Ardores!
Vtinam non deſint Corda, quæ audiant,
Quando cæperunt non deeſſe,
Quæ dicant.
Vtinam conſuetudo fiat,
Quod hactenus miraculum eſt;
Vt homines iam non niſi ex corde
Loquantur.

NEREI VATICINIA

De noua Genuenſium Claſſe
Anno 1642.

Iterum Liguria nauigat;
Ergo aut noui naſcentur orbes;
Aut renaſcentur Antiqui.
Tenuibus illa piſcationibus
Non aſſueuit,
Cuius in retia
Non vrbes ſolum Fortuna;
Sed & orbes coniecit.
Felicioribus Argonautis
Non vellus quodcunque ſit Merces;
Saburratæ Auro Triremes;
Reges, & Regna reuehent Domum.
Agnoſcet veteres Dominos
Græcum, Syriacum,
Egyptium, & Lybicum mare;
Et flagella placidum tolerabit,
Quæ iam non ſerua,
Sed libera manus infliget,
Cometę exitialis in morem
Orienti occaſum minabitur
Crux cruenta.
Vbi ſignum Filij Hominis viderit,
Adeſſe ſupremum diem ſentiens,
Luna Threijcia
Dare lumen deſinet ſuum.
Non aliјs, quam Mariæ Seruis
Laus iſta ſeruata,
Vt Mariæ pædibus
Terreſtrem hanc quoque ſubigant Lunam.
Amica Libertatis Fortuna,

Eam

Eam nunquam Claſſem deſtituat,
Quæ, quia ſacra Libertati eſt,
Cathenas non tolerat,
Niſi quas hoſtibus libertatis imponat;
Vt Africanus ab Africa,
Ita à Mari domito Dux Marinus,
Tanta ſub laude oppreſſus oſtendit,
Non niſi Diuinum fuiſſe conſilium,
Quod qui concepit illicò eſt dedicatus.

LIGVSTICÆ MAGNIFICENTIÆ

In Nouo Aquæ ductu Miracula.

Arcus, quos hic vides, Viator,
Triumphales & ipſi ſunt.
Difficultate multiplici ſuperata,
Habet vel ipſa pax Genuenſium
Trophæa ſua.
Vbi, qui vincerentur hoſtes defuerunt,
Artis ſuppetijs victa eſt
Maligni Soli Natura.
Quid non poſſe Ligurem putem,
Quando ita poteſt elementa transferre?
Catenatos Montes Nexu manſuro
Felicitatis ſuæ baiulos efficit,
Et triumphanti per aquas induſtriæ
Rebelles humeros
Commodare compellit.
Redundant Scatebræ,
Vbi nullæ naſcuntur;
Et oblitæ barbariem originis ſuæ,
De Ruſticanis Vrbanæ
In omnem modeſtiam manſueſcunt;
Nobilitati latices,

Qui

Qui & in valle ſerpere prohibentur,
Et elati in ſubliimiorem fortunam,
Tali, ac tanta Ciuitate donantur,
Similitudinem quamdam tumoris
Ipſa inceſſus Maieſtate
Mentiuntur.
Quidni nutriatur
Laboris amor in Ligure;
Si aſſiduus Conuiuia Temperantiæ
Mixtos Rupium ſudoribus ſuos bibit?
Bellorum incendijs
Recocta Genua vt eſt non abſumpta.
Non fabuloſo Medeæ,
Sed induſtriæ ſuæ vero miraculo
Felicem in infantiam retroacta,
Patribus ſuis
Matrum curas iniecit,
Dum ab ijs, & ampliora exegit
In aquis vbera.
Et faſcias in mœnibus laxiores.
Sed nimirum
Glorioſa ſemper in aquis Liguria eſt,
Seu à nullo luſtratas inueniat,
Seu ab aliquo malè occupatas
Percurrat,
Seu procelloſas arceat,
Seu remotas adducat.
Vbique in immemori Elemento
Famam ſuam
Stylo perennitatis inſcribit.

FE.

Digitized by Google

FELICISSIMÆ GENVENSIVM

Reſpublicæ pro Noua Mari oppoſitæ Mole Eucharisticon.

Næ tu ſuperba planè, Genua es,
Quæ famulare iugum
Domitis etiam elementis imponis.
Flagellato toties Nereo, nec correcto,
Iniecisti tu eandem compedes,
Quas illi fruſtra olim
Minatus eſt Xerxes.
Nimirum decuit
Maris Dominam fieri,
Quæ ſe Mariæ Seruam feciſſet,
Vndequaque inaceſsa
Cui inimico iam pateas,
Si nè infeſto quidem,
Iam peruia Vento es?
Europam vniuerſam
Depaſcentibus bellis,
Accreuit in te Pacis Amor.
Seditiones puniebas olim in Ciuibus,
Nunc videre, ne quidem ſuffers
In fluctibus.
Clauſa Tumidis Ianua es;
Iam non niſi pacatis pates.
Procax Elementum
Ad modeſtiam erudis.
Illi libertatem imminuis, vt augeas tibi,
Pudorem non putet
Oppoſitis lapidibus cedere,
Vbi toties cedebat antè Cineribus:
Liguſticæ Sagacitatis Miraculo
A noxijs curatum ſpiritibus
Energumenum iam mare non eſt.

Tan-

Tantæ Magnificentia Molis
Stuporem non aduenis ſolum hominibus
Sed & vndis iniecit.
Oblitæ innatam veſaniam,
Mutæ propemodum,
Immotæque iam torpent.
Quid tamen ſtupidis mireris in fluctibus
Inimici reuerentiam operis?
Ineſt in illis aliqua cum Auctore cognatio,
Quia ipſe etiam à MARI eſt.
Nouas inſulas
Ligur Columbus inuenerit,
Tu Anſalde, felicior, qui feciſti.
Fortunæ eſſe potuit
Quæ iam erant, detegere;
Solius Virtutis eſt,
Quæ omninò non erant, creare.
PALLAVICINOS
Statim ac Regio vidit in Solio
Hanc Regno ſuo perniciem
Neptunus exhorrit.
Notauit eorum in ſtemmate
Cæruleum non vno dente morderi,
Et ſe in imagine ſua
Quibuſdam quaſi raſtris incluſum
Iam captiuum teneri.
Quid quod ſub Auguſto altero
Palladi non tam Vicino, quàm Intimo,
Æmulam Romæ Vrbem
Nihil poſſe concipere credidit
Non Auguſtum?
Et ſterile quis adhuc dixerit ſolum,
In quo ingenia tam fœcunda
Naſcuntur?
Elegantia Ligurum

Nihil

Nihil incompoſitum tolerat,
Ne Mare quidem.
Æqualitatis Amici
Eam vel in Vndis ſinitimis
Perennem volunt.
Caue quidquam Moli opponas,
Viator,
Cui vim non habuit,
Quam opponeret Mare.

FERALE TRIPVDIVM LIGVSTICI.

Maris in die Paſchatis.

Anni Domini MDCXXXX.

Incendium Italiæ Natura præſentiens,
Superfuſo prohibere illud quodammodo
Studet freto
Amabile Conſilium, ſed inane.
Malè medicamur aquis ardores
Solo Sanguine reſtinguendos.
Et ſperemus tranquillos in terris dies,
Quando ne Dies quidem
Quam fecit Dominus.
Procellis vacat?
Vah! quali Catechumeno
Recens decoratum eſt Paſcha!
Ac ſi aggregari Fidelibus infidelitas poſſet,
Candicauit nobiſcum in Albis
Spumeum Mare,
Et Chriſto renaſcentium habitu
Innatam truculentiam tegens.
Iuſtiſſimam gaudij occaſionem
Choreis culpabilibus impiauit.

Morituræ Pelago libertatis
Supremi conatus hi ſunt;
Condonate breuem hanc petulantiam,
GENVENSES;
Obluctatur fræno generoſum Elementum,
Et maiorem, vi ſua, ſentiens
Induſtriam Veſtram,
Quod non ſperat excutere,
Gaudet concutere.
Indulgete impotentibus vndis.
Hanc vltimam voluptatem
Vt Bacchanali licentia Aream verrant,
A qua ſe breui æternùm præuident
Prohibendas.
Onerandum ſe Claſſibus
Præſentiens Nereus bonus Augur,
Odioſo Miniſterio velit terga ſubtrahere.
Cœlum cogitans, Nouus Gigas,
Eo liquidis ſe totum torquet in montibus.
Nimirum quibus diebus
Patuiſſe Latroni audijt,
Patere poſſe ſperauit, & ſibi.
Pro concionatoribus ſilentium meditantibus
Concionabundum Mare perorat.
Mugit in deſides
Tubam nouiſſimam expectantes, vt ſurgant;
Et id ipſum vrgens exemplo,
Quod alij ante omnia verbo probauerant,
Docet,
Veſaniorem pelago eſſe,
Quem obiecti Cineres non componant.

ALOY.

Digitized by Google

ALOYSIO ALBRICCIO

Chriſtiano Demoſtheni Obiurgatio Encomiaſtica.

Si laudes modeſtia reſpuit,
Tolerantia querelas admittat.
Quod in nullo accuſari valeas,
Reus es.
Auocas ab optimis animos,
Quando exhibes meliora.
Mortuo Tullio aures obſtruimus,
Ex quo cœpimus rediuiuum audire.
Cuius excitaſti memoriam.
Gloriam extinxiſti.
Vt habuerit Latium,
Qui diſplicerent in paucis;
Qui placeret in omnibus,
Solam debuit Matrem habere
Placentiam
Illuſtraſti Rhetores Rhetor
Ita tamen vt Mendaces effeceris,
Dum oratorem exprimi poſſe docuiſti,
Qualem defenderant vix poſſe deſcribi.
Cum ſine crimine dicas
Te nemo noſtrum ſine crimine audiat,
Vtpote qui cogamur illico
Vel deſperando,
Vel inuidendo peccare,
Paſcendis auribus natus es:
Dubium tamen
An earum magis acuas.
An mitiges famem,
Cum eas nunquam ſine tui fame dimittas.

Quo diutius dixeris,
Eo magis cogimur timere ne deſinas,
Id vnum non amamus in te,
Sine quo
Vix quidquam amamus in cæteris,
Parſimoniam Orationis.
Auditores tuos dicendo beaueras,
Quoties ſuauitati adderetur æternitas.
In oculos, caput, ac manus,
Tranſtuliſti ex ore facundiam;
Cum in te digiti,
Non ſecus ac lingua
Loquantur.
Vocalia in te omnia,
Etiam cum tacueris,
Mutus eſſe non potes.
Cum omnia noueris,
Mordere non noſti.
Stupente Mundo
Quòd adhuc dentibus careat
Tam adulta, tam robuſta facundia.
Innoxius tamen læſiſti cæteros,
Qui ſemel auditus eos feceris faſtidiri.
Adde quod tibi etiam noxius es.
Cum te iam perfectiſsimum crederemus,
Quod adhuc perfici poſſes,
Ideo didicimus.
Quia tu, te ipſo melior, docuiſti,
Placuiſti omnibus ſenior,
Quod prodeſſes:
Profuiſti iunior, quod placeres;
Inuidis etiam placere potueras,
Si potuiſſes in aliquo diſplicere;
Minarum horrorem
Ita confudiſti delicijs,

Vt magis à te argui,
Quam laudari à cæteris peroptemus.
Quod degere cogamur Infantes,
Crimen tuum eſt,
Qui ita totam exhauſeris
Eloquentiam
Vt extra te nulla ſuperſit,
Obiurgare tamen maluimus,
Quam laudare,
Cùm ab eo vno
Laudari pro meritis poſsis,
A quo vno non debeas.

LVCVBRATISSIMI OPERIS

Raphaelis à Turre Genuenſis Patritij.
Ad Lectorem Cenſura.

Trita via non eſt, quam ingrederis;
Raphaele tamen Duce,
Quamcumque ſecurus ingredi viam potes.
Ducet ille te,
Et reducet incolumem,
Et de exenteratæ Veritatis
Viſceribus,
Remedium eruet cæcitatis.
Errorum excurſiones qui timeas
Securus in Turri?
Ire niſi per ſumma non poſsis,
Tanta ſublimitate fundatus.
Solum ne puta, quem ſequeris;
Mercurium, Appollinem, Palladem,
Secum trahit.
In omni *Sapientiæ* promptuario
Saginatum ingenium

Mille tibi ſubinde delicias
Conuiua non auarus apponet.
Inſulſum ab eo nihil expecta,
Qui ſalem ipſum
Sua eruditione condiuit.
Omnem cum eo Noctem ignores;
Qui Sereniſsimo Ligurum Cœlo
Deſtinatur in Solem.
Tibi itineris labor non pereat,
Cuius experientia doceare pleraque;
Nec pauciora dedoceare,
Mens occulatiſsima
In TVRRI eminens,
Quidni ab alijs
Pleraquè malè viſam detexerit;
Eguit hac noua ſpecula Mundus,
In qua toleratæ hactenus
Profundum inſcitiæ
Metiretur.
Vos in Spem portùs erigite;
Qui dubio fluctuatis in Pelago
Doctrinarum.
Accèndit ſua DEVS in Turri lumina;
Ad quæ qui dirigat iter ſuum,
Alterius face non egeat Cynoſuræ.

CELEBERRIMI MEDIOLANENSIVM

Limocomij Inſcriptio.

Quid exhorres locum, Viator,
Vbi tam multi ſunt, quos amaſti?
Ædificij huius
Sola tibi diſplicere occaſio debeat.
Capitolium Mortis hoc eſt;

Agit

Agit illa huc currus ſuos
Quoties debellata Populorum ſalute
Triumphat.
Nulla ex re magis
Secundæ Romæ Maieſtatem
Intelligas.
Quàm quod in ea vel ipſa Peſtis
Tam magnificè habitat.
Aſceterium Patientiæ
Tot penè diſtinctum in Cellas
Quot ſecatur annus in dies.
Nouam pleroſque Philoſophiam
Ineruditis hiſce ſub porticibus
Docuit,
Prædium Mortis eam illi ſæpè
Protulit Meſſem,
Vt æſtatis vnius feracitate
Horrea ſua omnia prorſus implerit.
Suos & Circus hic coronat Athletas,
Habet Caroli Virtus,
Et æmulos, & hæredes,
Qui ex bonis Palæſtritis
Optimi milites.
Vel cum ineluctabili neceſsitate
Audeant hoc Campo certare.
Viden vt ex omni facie
Miſeris Deus patet?
Inter eos medius,
Ex vndequaque aperto tentorio
In omnem Areæ ambitum
Eiaculatur ſolatia.
Numerum Columnarum quid ſtupeas?
Ruentem ſpem vitæ
Ne tam multa quidem fulcra
Suſtineant.

Digitized by Google

Aquarum ſcatebris totus vt ager redundet
Extinguendæ tamen iræ Dei,
Quam continet,
Tuis adhuc lacrymis opus habet.
Tactos igne de Cœlo ne dubita,
Quos vides ſolos de ſe Cineres
Reliquiſſe.
Et adhuc prouidos non venditemus
Mortales,
Qui Vallo, & Mœnibus
Conamur peſtem includere,
Ac ſi non veniret ex alto?
Cæli vitia nemo bene correxerit,
Qui ea non correxit in ſuis.

D. VALERIANO CASTILLIONEO

Pro Noua D. Benedicti Hiſtoria Euchariſticon.

Quam multa fœcundiſsimi
Puerperia capitis.
Nata ſemel de Iouis Cerebro Pallas,
Renata ſæpe de tuo.
Magnus Medea quacumque felicior
Æſones, & tu recoquis in iuuentam,
Exutoſque priſci ſæculi horrorem,
Manſueſcere in Noui elegantiam cogis.
Vel in miraculis memor tamen Naturæ
Primam pietatem egeris in parentes,
Secundam effuſurus in Principes,
A quo melius, quàm à filio
Accipiat Palingeneſim Pater?
Mutare nomen iam poſsit
Ex quo nō *Bene* ſolum, ſed & optime *dictus* eſt.

Spi-

Spinas quas ante calcauerat,
Roſis inuolutus iam rideat
Et tui acuminibus ingenij
Vepreti ſui aculeos conſoletur.
Venena ſi bibit, & bibat Ambroſiam.
Quam in Vrbe natus Ambroſij
Nobilis Pocillator propinat,
Sitim cui non accendas
Calice aureo,
Tot vndequaque nitoribus
Fulgurante?
Cælum in paginas tranſtuliſti.
Nullum in eo micat
Niſi primæ magnitudinis ſidus
Quæ tibi copia luminum eſt,
Viam lacteam
Vel ipſo exprimis atramento,
Quæ tibi argumenti felicitas,
Inuenit in ſtellis ſingulis
Plura ſigna
Cuique ſuperbiam factura Zodiaco.
Caſti Leonis
Non niſi laudatiſsimæ prædæ ſunt.
Solers in Caſsino Venator
Heroum in ſylua baccharis
Et temporis ereptos dentibus
In ſinum æternitatis
Exoneras
Vni Valeriano
Laxauerit Cæcilia Cælum,
Alteri oculatiſsima ſapientia
Par beneficium mereatur.

In Auguſtiſſimo Mediolanenſium Noſocomio.

Agnoſce Viator Chriſtum in Paupere,
Et has non accuſabis impenſas,
Sufficere Mendicis tuguria poterant,
Chriſto hæc ipſa tanta Magnificentia
Par non eſt.
Ægrorum ſuorum
Contubernalem Deum qui vellet
Hac illum allicere ſtuduit hoſpitij Maieſtate,
Quamquam, vt traheretur,
Sufficere poterat
Domum hanc dicaſſe Mariæ.
Sequitur & Noſter Iuppiter
Cælum ſuum,
Et vbi Mater præeſt,
Ibi ſemper tam bono filio
Iucunda ſtatio eſt.
Nobilium titulus
Ex quo cœpit eſſe paupertas.
Hauſtis quos illi deponunt Spiritibus
Quacumque contenta domo non eſt.
Viden'quale illa ſibi poſuerit Auguſtale;
Ad Cuius admirationem
Vel è parietibus tam multi inſpectatores
Erumpunt;
Odioſum tamen diuerſorij ſui nomen
Ne hoc quidem tanto nitore condiuit.
Pudet vel marmora quod huc venerint.
Nec enim aliud
Lapidum horum omnium rubor,
Quàm terræ nobilis erubeſcentia quædam.

Aca-

Academia miſerorum,
Quandoquidem nouam
Quotidie in frequentiam proficit,
Schola hac eguit ampliore,
Illam tamen quæcunq; non concepit fortuna;
Hæc quędam quaſi Metropolis omnis pietatis
Auctorem non alium potuit habere
Quàm Principem.
Sumant à Viperarum adipe
Morbi plerique remedium;
Longè plures, Vicecomitum Anguibus
Valetudinem debent.

Digitized by Google

INSCRIPTIONES
ET DEDICATIONES.

Inſcriptio ad Valuas
SANCTI MICHAELIS LVCÆ
Cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D.
IGNATIVS GILIVS
Eiuſdem Eccleſiæ Decanus
SANCTO IGNATIO LOYOLÆ
Solemni plauderet apparatu
die 30. *Iulij*.

INSCRIPTIO I.

Bella quæ cæpit in Cœlo Michael
Qui Ignatius coniecit in terra,
A Commilitone gratiſſimo
Aris imponitur triumphalis.
Hoc Vrbs ab igne rutilans, Luca, eſto.
Vel in Caniculari gehenna
Ignis tibi odium minuat,
Qui ex quo Pariſijs gelido merſus eſt lacu;
Ardoribus minuendis eſt natus.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO II.

Michaelis aras Ignis à Cœlo corripuit.
Ad auctorem incendij Ciues accurrite
A Bombarda ſemel accenſus Ignatius
Iam in manu, Angeli calculus,
Non labra ſolum; ſed & Corda purificat.
Ignem ne fugite, cuius, & carbones amaſtis.
Vbi audiuntur filij, videndus Pater.

INSCRIPTIO

Ad Imaginem SANCTI THOMAE Aquinatis in Bibliotheca SANCTI MARCI Florentiæ Suos inter Interpretes ſedentis.

En tibi omnem
In vno demum Capite bibliothecam.
En omnem in vno Calamo
Militantis Eccleſiæ Panopliam
Abyſſus ſapientiæ Thomas,
Exhauriendus nunquam hauriendus ſemper
Capaciſſimas, quas circumſpicis Animas,
Sibi redundantibus Gazis impleuit.
Bos Mutus,
Pro quot vocalia fecit oracula?
Et Angelus Facierum
In tam diſſimilibus diſcipulis
Idem ſemper magiſter
Proh quot in Theologiæ Cælo
Accendit primæ Magnitudinis ſidera?
Ægræ tamen tam multi digerant.
Quod vnica olim in pagina
Puer librorum Helluo deglutiuit.

Diui-

Diuina non eſſet.
A Deo data, & laudata ſapientia,
Si exhauriri ab hominibus tota poſſet.

INSCRIPTIO

Affigenda Statuæ

CHRISTOPHORI COLVMBI Liguris.

AVDE, Liguria, exterorum Aquilis
Tuos Columbos præferre.
Is ego ſum
Qui vni natus Orbi, duobus ereptus,
Vtrumque luſtrare auidus, illuſtrare capax,
Mare omne Liguſticum feci.
Pluris mercatus occaſionem periculi,
Quàm alij ſecuritatem;
Æquè fortis toleratis,
Ac fortunatus inuentis
Augendo Naturam, Artem probaui.
Sed Columbis terras detegere
Conſuetudo iam eſt, non fortuna.
Merſas olim diluuio,
Prima columba quæſiuit,
Clauſas Oceano primus Columbus inuenit.
Fauete Liguri, Ligures,
Nec timere Auaritiæ probrum,
Qui pro Nauibus Orbes datis.

IN-

INSCRIPTIO ARCVS TRIVMPHALIS
Erecti a Nouocomenſibus

FERDINANDO AVSTRIACO
S. R. E. Cardinali.

Ex Italia in Belgium diſcedenti.

ILLABERE Nouocomenſium oculis
Ferdinande,
Quorum pridem in animos deſcendiſti,
His etiam è vallibus
Maieſtatem tuam Eminere par eſt.
Lætitia Noſtra Argui
Non ex effectu debeat, ſed ex cauſa.
Ex eodem nobis fonte
Et creſcunt gaudia, & decreſcunt,
Nos minus exhilaras veniens,
Quia iam exanimas diſceſſurus.
Extremam hic Italiam aſpicis
Quæ tibi tota trophæum eſt,
Vtinam abſentiæ tuæ damna non ſentiat,
Quæ tot hauſit à præſentia commoda.
Sed quæ tua felicitas eſt,
Dare ſuam Belgio potes,
Abſque eo quod à nobis repetas,
Quam dediſti.
Tuis igitur deuota meritis, ſecura victorijs
Hoc ſibi, & tibi impar obſequium,
Vno corde, multiplici nomine,
Nouocomenſium Ciuitas
Poſuit.

Digitized by Google

INSCRIPTIO AD FORES

Templi Corporis Chriſti, Quo die Taurinenſium pietas innouarat Memoriam ſingularis Prodigij, quod inibi in Euchariſtia olim acciderat. Anno 1453. Die 6. Iunij.

Occurrite Magno Hoſpiti, Ciues,
Apud vos iterum Chriſtus eſt,
Ex aere in Aram deſcendit.
Non antiquate beneficium,
Quod, quia æternum eſt,
Semper eſt nouum.

Alia eadem loco, & die Anno ſequenti expoſita.

Iam non apud vos hoſpes eſt Chriſtus
Ius Ciuitatis
Gemino acquiſiuit in ſæculo.
Vocatus aderit,
Qui nec accitus accurrit.
Princeps Pacis; Populares ſuos
Inter arma non deſeret.
Bellum odit raptus a milite.
Tueri ille vos poteſt,
Quia Deus:
Vult, quia Ciuis.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆSAGIA IRIDIS ADMIRANDÆ

Eo ipſo die, & loco, imò & horâ, circa Euchariſtiam ſpectata.

Iris hæc, Taurinenſes,
Iam non Iunonis Nuncia,
Sed veri Iouis,
Admirationis rectius mater, quàm filia;
Quamcunque cauſam habuerit,
Erupit è pluuia Gratiarum
Obruerit hactenus terram
Diluuium Sanguinus,
Inermis Arcus hic
Nec Pharetras viduat,
Nec iaculatur ſagittas.
Quo erumpente olim ceſſarunt aquæ,
Ceſſabunt & lacrymæ.
HYACINTHVS veſter
Quidni vobis halet ſuauius,
Si fabula non eſt,
Fragrantiores eſſe flores telluris,
In quam Iris incubuit?
Senſit bibax Arcus lacrymas veſtras,
Ad quas hauriendas deſcendit,
Auguria falſa non ſunt,
Quæ ducuntur à viſceribus Dei,
Pluet hercle quam primum,
Sed de vapore fletuum
Pluuia Gaudiorum.

TAV-

Digitized by Google

Pro hac ipſa Iride
Euchariſticon.

Exaltationem Solis
In Ariete fingat Aſtrologus;
Eam nos hactenus,
Experimur in Tauro.
Omnia illi eſſe,
In hoc Signo gaudia,
Iam non vno cognitum ſigno.
Deum Ioannes ſi vidit,
Vidiſtis & vos
Vt olim candidatum in Nube,
Ita nunc laureatum in Iride.
Arcum Veſtrum
Tellus quæcumque formidet;
Cæleſtis enim eſt.
Illum dum exerit Princeps Pacis,
Profligare Bella molitur.
Sperate vel de Cælo ſuppetias,
Quibus in ſignum fæderis
Cœlum nitet.
Profunda nulla vulnera,
Niſi quæ ex alto,
Vnde ſecuri eſtis, proueniunt.
Vel non diſſentiente Chaldæo,
Detrimentum Matris in Tauro eſt.
Data de Cęlo ſignificatio Bellis,
Vt & ipſa fugiant à facie Arcus.

IN-

INSCRIPTIO EXPOSITA

Eodem loco, & die anno 1639. cum vndequaque bella conſurgerent.

Abite procul hinc Bella;
Præoccupauit Vrbem hanc Deus Pacis,
Fixit in ea tentorium ſuum,
Vnde odia, liteſque profliget.
Adeſte Ciues,
Et Pacem quam non inuenitis in terra,
E Cœlo quærite.

DEDICATIO SACELLI S. IOSEPH

In eadem Vrbe, & Eccleſia.

Ciuitas Taurinenſis,
Eumdem, dum moreretur, experta Patronum,
Quem Christus, dum viueret, Patrem,
Sopita Peſte, Voti Rea,
Sacellum ho[illegible]

INSCRIPTIO POSITA IN ARCE

Momiliani, Inuictiſſimo Heroi Iafredo Bertio à Santena, pro eadem ab hoste ſeruata.

Æternat hoc Marmor
Fidem illibatam fortitudinem illæſam
D. Iafredi Bentij à Santena Pedemontani.
Qui ſub Victore Principe.
Miles inuictus
Acrocorinthum Sabaudiæ

Di-

Dignus Rege oppugnatore Propugnator
Defendit.
Ferro, Igne, Peſte,
Ac demum Auro tentatus,
Victorem exercitum excepit infractus;
Reiecit illæſus.
Nec tempore, nec impetu fractus, edocuit
Principem ſuum
Momiliano quid firmius habuiſſe.
Strenuus, qui Arcem vna cum fide
Defenderit:
Felix; qui Fidem, vna cum Arce.
Seruarit.
Anno Domini M. DC. XXX.

INSCRIPTIO AD VALVAS

Templi Paſſionis.

Cum illud primum inuiſeret Ferdinandus Auſtriacus S. R. E. Cardinalis.

Quidquid hic videris, Ferdinande
Niſi te ipſum videris,
Dolor & paſſio eſt.
Si quam inuenies materiam gaudiorum;
Intuliſſe te puta.
Linquere te ipſum non potes,
Ideo, vbicumque fueris, gaudia ſunt.

IN-

INSCRIPTIO PYRÆ EXCITATÆ

Mediolani, cum Eminentiſſimus Cæſar Montius ex legato in Hiſpania renunciatus eſt S.R.E.Cardinalis.

Supra montem poſitam Vrbem
Clarius iam micare par eſt.
Vicinum conijcere diem liceat,
Quando in Occidente rubere Mons cœpit.
Regendo Mundo nati ſunt Montes;
Atlante iam fatiſcente
Montem alterum parat Heſperia,
Cui Mundum imponat.
Romam amplificauit Vrbanus,
Cum ſupra ſeptem Montes
Eminere iuſſit Octauum.
Auſtriacorum Aquilæ iam tuto in monte
Nidificant.
Cum ijs plaudite, Ciues;
Inde illarum lætitia,
Vnde veſtra ſecuritas.

ALIA INSCRIPTIO.

Occaſione eiuſdem Pyra.

Ad ſublimia, Ciues,
Votorum Noſtrorum meta Mons eſt.
Vt ſe Cœlo finitimam faceret
In Montem intumuit Noſtra planicies,
Animos ad fodinam parate;
Aureus totus hic eſt,
Nec his indiget ignibus, vt eliquetur.
Infœcundus eſſe Mons nequeat,

Apud

Digitized by Google

Apud quem Beneficia ſua
Deponit Vrbanus.
Sperate Diluuio finem
Ex quo Arca Dei reſedit in Monte.

INSCRIPTIO ARCVS TRIVMPHALIS,

Cùm Mediolanum Archiepiſcopus ingrederetur idem Cardinalis.

Aſſueuiſti Victorijs, Cæſar,
Aſſueſce triumphis:
Et Cæſarem, & Priuatum eſſe non licet.
Ad primæ Romæ regimen
Per ſecundam Aſcende.
Ad te ſublimia quæque ferentur, vt creſcant.
Eminentia titulus alijs,
Monti etiam natura eſt.
Si Virtuti præmia non reſpondeant,
Merentis gloriam crede,
Non tenacitatem debentis.
A te victa patria eſt;
Vel vni Ciuium honeſtando non ſufficit.
Triumphat tamen adhuc illa tecum,
Imo de te,
Quæ modeſtiam tuam vicerit votis ſuis.
Ingredere igitur.
Et Inſubriam tuam inde etiam felicem ſcias,
Quod iterum Cæſaris ſedes eſt.

IN-

Digitized by Google

Ante Palatium Io: Baptiſtæ Spinulæ in Vico S. Petri de Arena.

Hanc etiam ſibi viam ad immortalitatem
Aperuit, Muniuit, Ornauit,
Ioannes Baptiſta Spinula,
Cuius tamen ſpatij,
Vſum communem faceret alijs,
Eiuſdem ius omne retinens ſibi,
Bona Patrum cum venia,
Præſcriptioni cuicumque aditum clauſit.
Tenacitati ne tribuas
Natum à ſagacitate conſilium
Iniuſtus eſt qui iura lædit aliena,
Improuidus qui non corroborat ſua.

ALIA

De eodem Argumento.

Viam, quam hic calcas Viator,
Eripere tibi idem poteſt, qui dedit.
Ius quod ſibi Io: Baptiſta Spinula retinuit,
Penes te eſſe ne puta.
In hac tanta amplitudine ſpatij,
Præſcriptioni vel minimæ nullus eſt locus.
Vtere igitur gratuito beneficio,
Quaſi illud ſtatim ac debitum credideris,
Amiſſurus.

IMA;

Digitized by Google

IMAGINIBVS
Quorundam Sabaudiæ Principum
Inſcriptiones affixæ.

*In Aula Illuſtriſſ. Comitis Flaminij
Sanmartini ab Alladio.*

CAROLO BONO.

Cărolum Bonum
Qui ſecurum oppreſſit,
Vincere non ſperauit armatus
Fecit illum è Bono Optimum
Fortuna peſſima;
Vidit immotus
Circa ſe mota omnia;
Hanc ſummam Fortitudini ſuæ
Statuens laudem,
Quod cum ſe digniſſima ageret,
Adhuc indigna ſe pateretur.

EMANVELI PHILIBERTO.

Rebellem ſibi Fortunam,
Vt arietaret Sabaudia,
FERREO CAPITI
Auream mentem incluſit.
Seù Auro illecta,
Seu ferro territa,

Ma-

Manus dedit.
Hanc Emanueli Philiberto
Integram laudem relinquens,
Quod quæ maiores
Maximo emerant merito,
Redemerit ipſe maiori.

CAROLO EMANVELI.

Carolus Magnus in Patre,
Maior in Filijs,
Maximus in ſe ipſo, Triſmegiſtus
Nullis locorum aut temporum
Includi finibus capax, omnem Iouis
Martis Mercurijque Gloriam
Suam fecit.
Nemo magis ſuorum deſideria
Hilarauit naſcens,
Beauit viuens,
Affixit moriens.
Nulli non timendus,
Qui Nullum timeret,
Nulli non amandus,
Qui nullum contemneret,
Amænitate morum,
Ita armorum leniuit horrorem,
Vt poſt tot bella
Quos hoſtes habuerit neſcias,
Cum omnes ſui reliquerit
Admiratores.

VICTORI AMEDEO.

Vtilis Mundo Bellator,
Qui ſolam Pacem per Bella
Quæreret,

In Regno tot operatus annis,
Quot Deus diebus,
Vidit & ipſe bona, quæ fecerat,
Ampliator Iurium, Inſtaurator fœderum
Defenſor Vrbium.
Ingens infeliciſſimi remedium ſæculi
Indiderat
Prudentiam ſuam improuido.
Temperantiam impudico,
Fortitudinem fluxo,
Iniquo Iuſtitiam,
Si qui alia omnia vicerat
Victor Fortunæ, Victor inuidiæ
Victor ſui,
Mortem etiam vincere potuiſſet.

CHRISTIANÆ FRANCICÆ,
Victori Coniugi.

In Chriſtianæ corpore,
Totam Henrici animam videt.
Victori ſuperſtes
Inuicta Vidua
Seruauit Regnum Filio
Filium Regno,
Et Gallo Sabauda Pallas
Non gorgoneo capite armata,
Sed ſuo,
Vt triumpharet omnia,
Quos bellis non vicit,
Beneficijs expugnauit.

Digitized by Google

CAROLO EMANVELI II.

Carolus Emanuel Secundus
Primum reſtituens,
Ingentium Heroum Epitome,
Vt omnes
Vel æquet, vel Superet,
Solius ſuffragium ætatis
Expectat,
Serum ſenium
Præcocem maturitatem excipiat,
Et qui facilitate Indolis
Occupauit populorum amores,
Felicitate Regiminis
Habeat & principum admirationes.

Sereniſſimo
PRINCIPI MAVRITIO.

Mauritius à Sabaudia
Multiplici Claritate
Vrbi, orbique notiſsimus,
Bella cum poſſet gerere
Pacare maluit,
Atque ita Regium Genus ſuum
Non contentus ornaſſe
Seruauit.

Digitized by Google

LVDOVICÆ MARIÆ
Principi.

Ludouica Maria à Sabaudia,
Primis Victoris, & Chriſtianæ
Hauſtis ſpiritibus
Abunde dotata
Eodem quo nupſit Mauritio die
Pacem pariens,
Vitam quam aliæ Matres dant paucis
Seruauit innumeris.

Principi
FRANCISCO THOMÆ.

Martem ignoras,
Qui Thomam neſcis.
Militant in illo omnia,
Genus, Genius, Ingenium,
Vultus, Manus.
Atque ita Teſte iam Gallo,
Hiſpano, Germano, Italo,
Non vir Vnus,
Sed exercitus eſt.
Carolo Patri propior
Mentis ſublimitate, quàm ſanguine;
Eum ne magis felix
Minus exprimeret,
In rectè factis tam multis,
Debuit & ipſe Virtuti omnia
Fortunæ nihil.

In

Digitized by Google

In Organo

Guglielmi Hermani Traiectenſis
E Societate Ieſu.

Poſito in templo Collegij Taurinenſis,
Anno 1652.

INSCRIPTIO I.

Comes Philippus Sanmartinus
Ab Alladio
Amans in concentibus,
Quam profitetur in moribus
Harmoniam,
Cum optime de ſe merito Numini
Debitas dare gr. tes
Vna ſatis voce non poſſet,
Effuſo in mille & ſexcenta guttura
Spiritu.
Multiplici modulatione
Tàm multiplicem Charitatem,
Aſſiduè voluit hoc in templo
Laudari.

INSCRIPTIO II.

Bellicis fatigati lituis,
Ad mitiorem melodiam
Aures arrigite.
Auri miraculo
Aſſuetum ſtragibus Plumbum
Manſueſcit in Cantus,
Et quos olim occidebat
Nunc exhilarans,

Seù canentes exprimat Volucres,
Seù tubas clangentes,
Stet ſemper ingens
Paci Præſagium,
Deo Sacrificium, Auctori Præconium,
Et Auctoris Educatoribus
Societatis IESV Patribus
Ornamentum.

TEMPLI CAMBERIENSIS
Societatis IESV.

DEDICATIONES.

Chriſtiana Francica
Pares origini Fines habens,
Nullam Carolo Socero,
Nullam Victori Marito
Paſſa laudem perire,
Regiam vtriuſque munificentiam
Æmula liberalitate coronans.
Ab Henrico Patre hauſtum
In Societatem IESV amorem
Hoc tam ingenti argumento
Prodebat,
Anno Domini. MDCXLIV.

INSCRIPTIO II.

Mariæ Filia hic iterum agnoſcenda
Chriſtiana.
Ieſu Matris Honoribus
Ieſu ſocios munerata,
Hoc pietatis exemplum Filio,
Gloriæ complementum

Ma-

Digitized by Google

Marito, & Socero
Abſoluebat,
Anno Domini. MDCXLIV.

INSCRIPTIO III.

Duos Mariæ debens Emanueles
Chriſtiana
Alterum Dei Filium,
Alterum ſuum,
Se pro vtroque profeſſa gratiſsimam
A Marito, & Socero
Magnifice cæpta perficiens,
Patronæ pijſsimæ
Tria ſibi Cariſsima
Regnum, Regem, & Regiam
Commendabat.
Anno Domini. MDCXLIV.

DEDICATIO GEMINÆ ARÆ

In Senenſi Baſilica.

Societas Sancti Petri,
Cuius inextincta Pietas
Ante aram maximam
Duplici æternum ardet in Cereo,
Non oblita Dei Matris honores,
Dum curat Filij,
Hac ara gemina
Mariæ Templum exornans,
Sodalibus mortuis noua ſuffragia,
Viuentibus noua ad Pietatem
Excitamenta condebat,
Anno Domini. MDCXLVI.

Digitized by Google

In eodem Argumento.

Sancti Petri affectus
Æmulata Societas,
Per viuentium ornamenta
Mortuis ſuffragia præparans
Vt olim binos ex Ære Cherubin,
Mutuato è ceris illuſtres lumine
Ante veram huius templi Arcam
Stare Pietatis ſuæ obſides iuſsit,
Ita nunc vna oblatione
Binas è marmore Aras ſacrificans,
In duriſsima quaque materia
Suum erga Dei obſequia ſtudium
Imprimebat,
Anno Domini. M D C X L V I.

INSCRIPTIONES
In Arcu Triumphali Nicea.

Fecialibus Pacis ſuæ ſponſis
Sereniſsimis Sabaudiæ Principibus,
Mauritio, & Aloyſiæ Mariæ
Senatus, Populuſque Nicienſis,
Pro Iani foribus clauſis
Has triumphales aperuit.

INSCRIPTIO II.

Nupſit Aloyſia Mauritio,
Nubit Nicæa Gaudio;
Fidelis Ciuitas,
Nunquam alijs, quàm Principum ſuorum
Fatis victura,
Tam magnas animas ex quo ſperauit

Ca-

Capere
Se iam non capiens,
Extra ſe proſilit.
Et tanto gratulata Coniugio
Dotalem Pacem
Tripudij ſui
Teſtes adhibens quotquot poteſt,
Ciuibus non contenta quos habet,
Acciuit vel è cælo quos habuit.

INSCRIPTIO III.

Vanam ne credite
Priſcòrum Augurum fidem;
Magnarum rerum ſecundi ſemper euentus,
A nullo certius, quam ab Aquila
Portenduntur.
Siniſtra igitur non nubitis alite,
Qui auſpicijs Nicienſis Aquilæ nubitis,
Fluctibus illa eminens
Scopulo nixa
Securitatem pollicetur in quacunque
Procella.
Alis expanſis omnes auertit anguſtias,
Et hoſtium purpurata ſanguine
Victoriarum argumentis
Amputat occaſiones pugnarum.

Digitized by Google

INSCRIPTIO IV.

Nicienſis Aquila tuto iam in ſua Rupe
Nidificet,
Quando illi geminata Serenitas
In omni Luna non alios:
Quàm Alcyonios dies ſpondet.
Nunquam propius Cœlum attingit,
Quam cum iam non vna nititur
Altitudine,
Non vltrà fulminum,
Sed nuptialium miniſtra tædarum,
Hanc Chriſtianæ Regenti,
Et Carolo Regi gratiam habet,
Quod dum iſte ſororem,
Illa filiam donat,
Iam habenti in Mauritio Iouem,
In Aloyſia Maria
Pacificam Iunonem adijciunt.

INSCRIPTIO V.

Næ tu, Mauriti Sereniſsime,
Mineriia dignus es, quam adducis,
Qui ita Mineruæ Arborem Oleam
Adamaſti,
Vt eam Lauro, Palmiſque prætuleris.
In Triumpho, quem tot victis difficultatibus
Multiplicem meruiſti,
Nullæ te melius,
Quàm Pacificæ frondes coronent.
Aſſuetus metiri Populorum vtilitate
Gloriam Principis.
Quidquid tuis obſuiſſet,
Tibi negaſti poſſe prodeſſe;

Æter-

Digitized by Google

Æternùm igitur viuas,
Qui nullum credens
Bellorum damno par lucrum,
Paci ſtudes, Paci militas, Paci nubis.
Feliciſsimo tu planè dignus Coniugio,
Qui non tam Poſteritati tuæ,
Quàm quieti Publicæ conſulens
In nuptias conſenſiſti.

INSCRIPTIO VI.

Hæc tibi Aloyſia Maria
Non tam ad Vrbem,
Quàm ad Felicitatem Ianua ſit,
Quæ tuo vix deſponſa Mauritio
Iam potes Pacis Mater audire.
Secundi fœtus huic primo reſpondeant,
Nihil tàm ſuum ducet Sabaudia,
Quàm quod ipſa pepereris.
Feliciſsima Domus
In communi Europæ Naufragio
Chriſtianæ Regentis Prudentia,
Caroli Regis fortuna
Mauritijs ingenio, Thomæ gladio
Propemodum recuperata,
Se tibi Triumphalem,
In Nicæa exhibens ſua
Imparem tantæ capiendæ lætitiæ Vrbem,
Vel ipſo erubeſcere coegit in ſtemmate.

INSCRIPTIO VII.

En qualia ligant decora
Sabaudiæ Nodi?
Tulere Reges, & Reginas traxere,

Digitized by Google

Orientis, & Occidentis Imperia;
Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ,
Bohemiæ, Angliæ, Scotiæ,
Nauarræ, Aragoniæ, Luſitaniæ,
Neapolis, & Siciliæ Regna,
Vt accepere Feliciſsimæ Domus ſpiritus;
Ità eidem ſuos dedere.
Is ſupra omnes carior nodus
Qui in Mauritij, & Aloyſiæ Nuptijs,
Iterum Sabaudiam
Sabaudiæ colligauit.
Beroldi Poſteritatem
Veteres illi nexus ornare potuerunt,
Iſte ſeruare.

INSCRIPTIO VIII.

Ex quo pacatum Sabaudiæ cęlum eſt,
Qui menſes oppreſſerant hilaritatem
Funeribus,
Ijdem illam in nuptijs reddiderunt.
Condonate, Populi, Iulio
Magni Caroli Fatum:
Hac non indignus eſt venia,
Qui Aloyſiam Mariam, & Mundo edidit;
Et Mauritio deſpondit.
October iam nec Victorem debeat,
Nec Hyacinthum;
Vnius vtilitas Thalami,
Gemini poſsit Tumuli
diſpendia compenſare.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO IX.

Cum hoc ipſo Nuptiarum Tempore Nicæam è Melita transferrentur Sancti Martyris Vincentij oſſa.

Poſt Aloyſiæ Mariæ,
Et Mauritij Nuptias,
Ità felix ſtatio Nicæa es,
Vt noui ad te vel è cælo Coloni
Veniant.
Præſidiario milite
Poſt Chriſtianam munit te Chriſtus,
Et Ioannes Paulus Laſcaris,
Tam bonus melitenſibus Princeps,
Quàm tibi Ciuis,
Humilem Patriam ſortitum ſe negans
Quam vel in ſumma non deſpicit
Eminentia,
Bellorum Solatium Vincentium legat.
Tam boni ominis Martyrem
Quà pietate mittitur accipere;
Nulla te dona,
Aut ornare magis potuerant,
Aut munire.

PRO-

PRODOMO IOANNI
TVMVLVS.

Expreſſus in Aula Domus Probationis Genuenſis, quæ eidem Ioanni ſacra eſt ornataque ab Auctore varijs Auditorum ſuorum carminibus, Anno Domini 1642. 29. Auguſti.

INSCRIPTIO PRIMA.

Deſiderio vocis
Muta Paueranenſis Facundia
Verbi vocem implorat.
Lege, Viator, & tace;
Silentium exigit Vox ſepulta.
Eam Herode Lupo ſpectato,
Quidni mundus amiſerit?
Echo illius hoc ſuperſtes in ſaxo
Quid loquatur attende.
Herodi Epicedia, Chriſto epinicia,
Euchariſtica ſibi, Parænetica tibi.

INSCRIPTIO II.

Ex impia Herodis cœna
Hæc Cælitibus Analecta ſuperſunt.
Iure mireris Viator,
Ferculum idem Deo, & Herodi placuiſſe,
Abſit tamen, vt vel hinc putes
Deo quidquam conueniſſe cum impio.
Qui non niſi diuiſus Herodi placuit,
Non niſi quia integerrimus, placuit Deo.

Digitized by Google

INSCRIPTIO III.

Sub Hieroglyphico Agni.

Agnus eram; mox fregi Aries violentus
Olimpum;
Me Lupa, mèq; Lupus perdidit; Agnus eram.

INSCRIPTIO IV.

Ad Vrnam.

Hic qui Parentis ſalijt in vtero Puer,
Ne terræ in vtero clauſus in ſaltus nouos
Se ſe expediret, eguit hoc ſaxo premi.
Prematur? Hominum Maximum, Mundo minor
Non capiat Vrna. Viator, & tu hunc non capis.

INSCRIPTIO V.

Et ad Vrnam.

Quam calcatus Herodes Herodiaſq; regebant.

Non iacet hic, qui iacet hic,
Excelſos non premeret, ſi iaceret.
Luporum hæc è cœna Oſſa,
Viator ſuperſunt.
Lapis Terminalis, hic eſt,
In quo & Prophetiæ finis,
Et Euangelij initia coierunt.
Deus exercituum longam maſuetutus in pacem,
Sagittam electam
Saxea condit in Pharetra,
Quieſcere volentem ne prouoca;
Adhuc cum hoc ſuo telo eſt Dei manus.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO VI.

Quæſiturus quem amiſerat mundum, Deus.
Hanc lucernam accenderat.
Præluxerat illa Viatori,
Et quia ardens ſpinas abſumpſerat,
Et quia lucens errores auerterat,
Facto tamen iam die
Quis vltra eſſet lucernæ vſus?
Filij tenebrarum extincta flagitio
Oleo adhuc redundat,
Vtpote in Dei non in fatuæ Virginis manu;
Hoc in ſaxo ſupremum Orbis incendium,
Ad quod iterum accendatur, expectat.

INSCRIPTIO VII.

Orto, & adulto iam Sole
Phoſphorus irruit in occaſum
Intolerabilis mundo calamitas,
Niſi quod maioris exuberantia luminis,
Minoris aduerti detrimenta non ſinit.
Nouæ diei decretus Aurora,
Gaudia, quæ attulerat oriens,
Solus non abſtulit mox diſcedens.
Vel hinc dignus præfici Cælo queſtor,
Qui ſemel data non repetat,
Et diuitias Diuinæ Bonitatis
Promittens poſtremus,
Oſtendit primus.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX ELOGIORVM, ET INSCRIPTIONVM.

Numerus paginam notat.

GENETHLIACA.

Habes in Nouem inſcriptionibus ad fores templi Iani excitati à Chriſtiana Francica Sabaudiæ Duce, cum gratulata Ludouico XIII. fratri Delphinum Filium feſtos Taurinenſibus inſignes accenderet. pag. 5. ad 9.

FVNEBRIA.

Habuiſſet Tumulus Chriſti Prodromo excitatus, niſi per errorem translatus eſt in paginam 254. vbi plures habes breuiores inſcriptiones, quæ præcedere debuiſſent eiuſdem Herois vitam, quam habes à pag. 10. ad 25. exornatam Elogijs XV. hoc ordine.

1 Ioannes Patri inter aras promittitur. p. 10
2 A ſterili Matre concipitur. 11
3 Matris in vtero exultat. 12
4 Ingenti Mundi gaudio naſcitur. 13

Puer

5 Puer in eremum ſecedit. 14
6 Vrbes attrahit in eremum. 15
7 Pœnitentiæ fructus facit, & colligit. 16
8 Phariſeorum legatos eludit. 17
9 Chriſtum abluit in Iordane. 18
10 A Chriſto laudatur. 19
11 Monitis ſalutaribus Herodem irritat. 20
12 In vincula conijcitur. 21
13 Saltatriculæ ſcelere trucidatur. 22
14 Caput eius conuiuio ſiſtetur. 23
15 Cineribus eius ſepultis Epitaph. 24

Funus Ludouici Iuſto Galliarum Regis decretum Taurini, habet eius vitam XL. Elogijs explicatam hoc ordine poſt indictionem funeris. 26

1 Ludouici Natalia, cæli, terræque prodigijs illuſtrata. 29
2 Naſcens, ter oculos, ac manus in cælum attollit. 30
3 Accepto à Patre gladio Puer in Regni, & Dei hoſtes armatur. 31
4 A prima ætate ſummis Virtutibus aſſueſcit. 32
5 Anno ætatis decimo conſecratur in Regem. 33
6 Annam Auſtriacam ducit vxorem. 34
7 Sibi, Deoque rebelles compeſcere aggreditur. 35
8 Benearnenſium Nouam Rempublicam euertit. 36
9 Ad Fanum Angeriacum mira Religionis, & fortitudinis experimenta edit. 38
10 Ræam inſulam rebellibus eripit, mox & ab

An-

Angelis defendit. 39
11 Rupellam ab alijs Regibus fruſtra tentatam aggreditur. 40
12 Rupellam poſt xv. menſium obſidionem expugnat. 42
13 Rupellæ Victor Chriſto, & SS. omnibus triũphum cedit. 43
14 Domitæ Hæreſeos inanes conatus irridet. 45
15 Pacata Gallia Europam vniuerſam ſuis Victoris implet. 46
16 Litterarum ſtudia magnis honoribus promouet. 48
17 Ingentem ſtrumis laborantium multitudinem contactu ſanat. 49
18 Excitata ſæpe in regno diſſidia prudenter componit. 50
10 Singularia certamina ſeueriſſimis legibus interdicit. 51
20 Hæredem Filium Ludouicum XIV. à Deo impetrat. 53
21 Ludouici ſingularis in Deum Pietas. 54
22 Ludouici ardentiſsimus in ſuos Amor. 55
23 Eiuſdem in ſumma felicitate ſumma modeſtia. 57
24 Eiuſdem in calamitoſos beneficentia. 58
25 Eiuſdem in deligendis Magnarum rerum adminiſtris Prudentia. 59
26 Mira in adeundis periculis Fortitudo. 61
27 In plectendis ſceleribus, ac munerandis Virtutibus Iuſtitia. 62
28 Laborum amor, & patientia ſingularis. 63
29 Eiuſdem in Voluptatum vſus temperantia. 65
30 In condonandis iniurijs Clementia. 66
31 Eiuſdem in Cælites omnes affectus. 67

In

Digitized by Google

32 In lethales noxas odium immortale. 68
23 Varijs ęgritudinibus in corpore premitur. 70
34 Mortalitatis ſuæ memor regno ſuo conſulit. 71
35 Intentus ad cæleſtia rebus humanis penitus vale dicit. 72
36 Ad mortis noncium hilaratur eximiè. 73
37 Aſcendenti in Cælum Chriſto Triumphi Comes adiungitur. 74
38 Eodem quo Henricus Pater Moritur Menſe, die, hora. 75
39 Mortuus ab vniuerſa lugetur Europa. 77
40 De tota Ludouici vita Iudiciū in Epitaph. 78

In Funere Victoris Amedei Sabaudiæ Ducis prę-ter plurimas inſcriptiones, a p. 80. ad 91. & à p. 92. ad 89. habes eiuſdem Pacis, & belli decora in XIV. Elogijs, quorum Argumenta hæc ſunt.

1 Cum Nemoroſæ Duce congreſſus. 92
2 Conciliatio Ludouici Regis Matre. 93
3 Vulnus ad Verrucam. 94
4 Pax ad Claraſcum. 95
5 Auctum Regnum, Fœdera, & Edificia. 96
6 Nouæ conſtitutiones. 97
7 Munitæ propugnaculis Vrbes. 99
8 Crauaconij expugnatio. 100
9 Geſta ad oram Liguriæ. 101
10 Ad Beſtannium receptus. 103
11 Mons Caluus expugnatus. 104
12 Pons ad Ticinum. 105
13 Nouiſſima Regni defenſio. 106
14 Suprema ad Bulmidam Victoria eiuſdem Principis. 107
Epitaphium. 109

EPI-

EPITAPHIA ITEM.

Amedei I. Sabaudiæ Ducis. 112
Franciſci Gillij Lucenſis Patritij. 114
Dianæ Saracenę Senenſis. 115
Franciſci Cardinalis Cennini. 115
Marchionis Guidi Villæ. 117
Ioſephi Rondanini Romani Patritij. 119
Sylueſtri Montoliueti. 120
Iacobi Guaſchi. 121
Iannotti Rebuffi Genuenſis Patritij. 123
Ioannis Toerarij Galliæ Matreſc. 124
Margaritæ Carrettæ cum Inſcriptionib. ſex. 126
Iafredi Bentij à Santena. 129
Ludouici Cardinalis de Valletta. 131
Mercurini Alphonſi Gattinariæ. 134
Annæ Bentiæ Lumelli Comiti. 135
Nouocomenſium ciuium &c. 136
Auguſtini Marini Ducis Genuenſis. 136
Comitis Nicolai Sanmartini. 139
Principis Io. Andreæ Auriæ. 139
Anſaldi Ceba. 142
Federici Spinulæ Ambroſij Fratris. 145
Laurentij Saulij Genuenſis. 148

ELOGIA PANEGYRICA
SS. Epiſcoporum, ſeù Inſulatæ Virtutes.

Auguſtini Hipponenſis. 151
Ambroſij Mediolanenſis. 152
Paulini Nolani. 153
Cypriani Carthaginenſis. 155
Hilarij Pictauienſis. 156

Mar-

Digitized by Google

Martini Turonenſis. 158
Remigij Remenſis. 159
Euſebij Vercellenſis. 161
Thomæ Cantuarienſis. 162
Caroli Mediolanenſis. 164
Donati Aretini. 166
Appollinaris Rauennatis. 167
Maximi Taurinenſis. 168
Anſelmi Cantuarienſis. 169
Maurilij Andegauenſis. 170
Fulgentij Ruſpenſis. 171
Aloyſij Toloſani. 172
Athanaſij Alexandrini. 173
Ioannis Chriſoſtomi. 174
Gregorij Thaumaturgi. 176
Baſilij Magni. 177
Gregorij Nazianzeni. 179
Dioniſij Areopagitæ. 180
Clementis Ancyrani. 182
Blaſij Sebaſtenſi. 183
Ioannis Eleemoſinarij. 184
Ignatij Antiocheni. 185
Petri Alexandrini. 186
Polycarpi Smyrnenſis. 187
Epiphanij Conſtantienſis. 188
Alexandri Bertij vita, & virtutes 24. inſcriptiunculis explicatæ. A pag.189. ad 203

EVCHARISTICA.

Lucentibus pro Crucifixi Imagine, 203
Ludem pro Deiparæ Imagine. 207
Pro vocaliſſimo corde P. Rocchi Gonzalez è Soc. Ieſu. 209
Sereniſſimæ Genuenſium Reipublicæ pro noua claſ-

claſſe. 212
ro nouo aquæductu. 213
ro noua mari oppoſita mole. 215
ccaſione procellæ in die Paſchatis. 217
loyſio Albriccio pro concionibus. 219
aphaeli à Turri pro eruditiſſimo opere. 221
Mediolanenſibus pro limocomio in remedium peſtis. 222
bbati Valeriano Caſtillioneo pro noua S. Benedicti hiſtoria. 224
Mediolanenſibus pro Auguſtiſſimo Noſocomio. 226

INSCRIPTIONES.

d Valuas S.Michaelis Lucenſis. 228
d imaginem S. Thomæ doctoris Angelici Florentiæ. 229
d ſtatuam Chriſtophori Columbi Liguris. 230
ouocomi Ferdinando Cardinali Auſtriaco in Religio diſcendenti. 231
d valuas Templi Corporis Chriſti Taurini inſcriptiones plures. 232
edicatio Sacelli S. Ioſeph in eadem Vrbe, & Eccleſia. 235
arce Momiliani Iafredo Bentio à Santena. 235
d Valuas templi Paſsionis. 236
d Pyram exercitatam Mediolani Cardinali Cæſari Montio. 237

INSCRIPTIONES DVÆ.

d Aures triumphales excitatos Mediolani in eiuſdem Cardinalis ingreſſu. 238
d viam Ioannis Baptiſtæ Spinulæ Genuæ Inſcriptiones duæ. 239

Ad

Ad imagines nonnullorum Sabaudiæ principum in aula Comitis Flaminij San Martini. 240
Caroli Boni. 240
Emanuelis Philiberti. 240
Caroli Emanuelis. 241
Victoris Amedei. 241
Chriſtianæ Francicæ. 242
Caroli Emanuelis. 243
Principis Mauritij. 243
Ludouici Mariæ Principis. 244
Principis Franciſci Thomæ. 244
Ad organum in templo Collegij Taurinenſis Societatis Ieſu inſcriptiones duæ. 245
Dedicatio triplex Templi Camberienſis Societatis Ieſu. 246
Dedicatio geminæ aræ ſenis. 247
Niceæ ad arcum triumphalem in nuptijs Sereniſſimorum Sabaudiæ Principum Mauritij, & Aloyſiæ Mariæ inſcriptiones plures a pag. 248. ad 253
Prodomo Ioanni tumulus. 254

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google